GODOFREDI HERMANNI DE EMENDANDA RATIONE GRAECAE...

Gottfried Hermann





GODOFREDI HERMANNI

DE

EMENDANDA RATIONE GRAECAE GRAMMATICAE

PARS PRIMA

ACCEDVNT HERODIANI ALIORVMQVE LIBELLI NVNC PRIMVM EDITI

LIPSIAE APVD GERHARDVM FLEISCHERVM

CIↃIↃCCCI.



Quid exſpectare debeant, qui hunc librum legere inſtituunt, hoc magis opus eſt ut exponam, quo magis verendum mihi eſt, ne quis ea me dediſſe ſperet, quae nec volui dare, nec potui. Graecae grammaticae rationem non emendare, ſed, quo pacto emendari poſſet, ostendere ſtudui. Itaque non omnes grammaticae partes disputatione conſequutus ſum, ſed ea tantum, quae ſumma ſunt huius doctrinae capita, ac ne illa quidem integra, attigi. Etenim quis tam ſit temerarius, ut univerſam Graecae linguae doctrinam, quae vix coniunctis multorum ſtudiis illuſtrari poteſt, ſua unius opera explicatum iri exiſtimet? Immo, qui huius rei difficultatem recte perſpexerit, aut aliquem e multis locum eliget, in quo pertractando operam ponat ſuam, aut, ſi univerſam grammaticam comprehendere volet, in eo conſiſtere ſatius putabit, ut viam indicet, quae in cuiusque loci explicatione videatur aptiſſima. In qua re multum refert meminiſſe, quae cauſſae ſint obſcuritatis Graecae grammaticae. Origine enim obſcuritatis cognita aut tolli obſcuritas poterit, aut, ſi tolli non poteſt, prohibebi-

mur certe, ne quid ultra, quam licet, conemur. Equidem illius obſcuritatis has potiſſimum quatuor cauſſas eſſe arbitror: perfectionem linguae e coniuncto diverſarum aetatum uſu enatam; ſermonis apud diverſas gentes discrepantiam; interitum plurimorum ſcriptorum, maximeque eorum, qui Dorica atque Aeolica lingua ſcripſerant; grammaticorum denique artem ac diſciplinam. Ex his illud tantum, quod poſtremo loco attuli, defenſione indiget. Atque equidem tantum abeſt ut grammaticorum libros arti grammaticae multum profuiſſe credam, eos ut magis, ſi a quibusdam partibus discedatur, inſigni ad eam rem impedimento fuiſſe cenſeam. Nam ut omnium artium tenuia ſunt nec ſatis firma initia, ſic idem in grammaticorum doctrina evenit: quae quum inclinato iam Graecae linguae flore ab hominibus non ſane ad eam rem omnino idoneis et inventa et quodammodo etiam perfecta eſſet, fieri non potuit, quin hi ipſi poſtea, deperditis antiquiorum plerisque ſcriptis, auctoritatem longe, ac debebant, maiorem adipiſcerentur. Quae quidem auctoritas aliquanto minor foret, ſi aut omnia grammaticorum ſcripta ad noſtram aetatem perveniſſent, aut ea certe, quae adhuc exſtant, e bibliothecarum latebris in lucem eſſent protracta. Sic enim, id quod nunc divinare magis quam perſpicere licet, facilius pateret, quid fictum a grammaticis, quid ab antiquis acceptum eſſet. Nunc quae eſt harum ratio litte-

rarum, maxima dubitatio in eo versatur, utrum sequi nos grammaticorum doctrinam, an contemnere oporteat. Vtraque opinio suos nacta fautores est. Sed qui grammaticos unice probant, non solum, ubi pugnantes inter se auctores suos vident, magno sunt in discrimine, sed in maiore etiam, ubi isti tacent: qui autem grammaticorum libros inspicere dedignantur, ad coniecturas confugiunt, quas quo iure a quoquam probari postulabunt, si neque grammaticos aliter sentientes refellant, et fontem cognoscendae antiquitatis negligant uberrimum? Quae quum ita sint, neutrum horum fieri par est, sed media tenenda est via, ut nec fastidiose spernamus grammaticos, neque in eorum decretis consistamus. Sed in hac quoque via duplex occurrit dubitatio, altera de eo, quid in grammaticorum doctrina probare nos oporteat, altera de ratione, qua sit in hoc genere amplius progrediendum. De utraque re dicam, quae mea sit sententia.

Grammaticorum libros legentibus sponte se offert insignis rerum, quas isti tradunt, differentia, quum alia ut usu et auctoritate veterum scriptorum firmata proferunt, alia autem ut artis suae quadam necessitate stabilita tradunt. Quorum illa, quae antiquis scriptoribus debent, nemo tam erit temerarius, qui in dubitationem vocare velit; illa autem, quae ipsorum sunt grammaticorum inventa, quid tandem est, quod

magis putemus vera esse, quam quae nostrum quispiam excogitaverit? Non sum nescius in hoc quoque genere quaedam esse, in quibus merito maior sit veterum grammaticorum, quam recentiorum, auctoritas, quoniam illis maior certe exemplorum copia, unde decreta sua colligerent, suppetebat. Verum haec nec multa sunt, nec summa. Quamobrem qui veteres grammaticos tractant, hoc maxime operam dare decet, ut quae horum reperta sunt, probe secernant ab iis, quae consuetudine Graeci sermonis priscorumque usu auctorum firmata erant. Quae qui cognoverit, non modo grammaticorum inter se multas dissensiones, sed ipsius etiam artis miram perturbationem ac repugnantiam animadvertet. Quamobrem si nunc quaedam ars ac disciplina grammaticae constituenda est, cuinam e tot grammaticis maxime fidem habebimus? aut omnino eamne artem probabimus, quam sua ipsam fundamenta videmus labefactare? Scilicet quod antiquis grammaticis licuit, ut grammaticae rationem ad iustae disciplinae formam reducerent, id nobis quoque, et magis etiam, licere par est. Non enim haec res auctoritatis et experientiae, sed rationis humanae et pervestigationis opus est. Quare quod illi fecerunt, qui nondum eo, quo nos utimur, philosophiae lumine fruebantur, quidni idem nobis, qui ab hac re longe illis sumus instructiores, faciendum censeamus? Arbitror ego me huius rei luculentum

exemplum propoſuiſſe in eo grammaticae loco, qui eſt de metris: in quo ſi quis grammaticis ſeſe addicat, omnia ei impedita, perturbata, obſcura erunt; ſin autem rem ipſam ſequatur ducem, facilia omnia, perſpicua, clara eſſe intelliget. Eadem vero inepta diligentia et perverſa ſubtilitate, quam in metris adhibuerunt grammatici, etiam in reliquis uſi ſunt grammaticae partibus. Quare in his quoque, niſi maiorem etiam, quam grammatici, culpam admittere volumus, amplius progrediendum eſt, et ars quaedam invenienda noſtris viribus noſtroque apparatu digna.

Sed propoſita eſt in hoc genere altera illa dubitatio, cuius ſupra mentionem feci, quo pacto corrigenda ſint grammaticorum praecepta. Nimirum ut in omnium explicatione artium, ita etiam in grammaticae expoſitione nihil egeris, ubi in iis rebus conſtiteris, quae non ſunt prima artis elementa. Ex his enim ut e communi fonte, quidquid univerſus artis ambitus comprehendat, prodierit neceſſe eſt. Quare fundamentis rite poſitis, ſi quis modo deinceps non ab recta via aberraverit, certam firmamque licebit artis deſcriptionem exhibere: quam amplificare deinceps aliis, non labefacere licebit. Atque hoc in genere maxime peccatum videmus ab iis, qui recentiori aetate artem Graecae grammaticae attigerunt. Qui quum ea poſuiſſent huius doctrinae fundamenta, quae aut experientia tantum, neque ea ſatis explicata, continerentur,

aut e ratiocinationibus male institutis essent profecta, fieri non potuit, quin magis obessent emendationi artis grammaticae, quam prodessent. Sed pro diversa partium grammaticae natura diversa est artis ac disciplinae ratio. Alia enim fontem habent rationem humanam, adiutricem autem experientiam, in aliis contra fons est experientia, ratio autem adiutrix. Ex qua partitione facile poterit intelligi, qua via in quoque grammaticae loco explicando progredi oporteat. Ac Graecae quidem grammaticae partes sunt septem, quas eo ordine, quo debent tractari, non quo vulgo tradi solent, enumerabo: prima de litteris, secunda de mensura syllabarum, tertia de accentu, quarta de metris, quinta de partibus orationis, sexta de constructione, septima denique de dialectis. Ex his partes prima et secunda, quae sunt de litteris et mensura syllabarum, e copiis experientiae hauriri debent. Tertia pars, quae est de accentu, et quarta, quae de metris est, fontem habent rationem, quoniam utraque numeri legibus nititur. Sed bene multa in his sola veterum auctoritate cognoscuntur, quae quidem omnia eiusmodi esse intelligitur, ut nec numeri legibus repugnare queant, neque ea tollere, quae antiquorum constanti consuetudine ut fundamenta quaedam stabilita sunt, cuiusmodi est in accentu illud, quod tertia a fine syllaba non notatur accentu, si ultima longa est. Sequitur quinta pars, qua

partes orationis tractantur. Ea quum in exprimendis cogitationum notis verfetur, non poteft non folius rationis perveftigatione explicari, ad quam deinde ea, quae experientia in cuiusque populi fermone fuppeditat, accommodanda funt. Sexta pars, quae eft de conftructione, quod ad fumma capita attinet, ratiocinando e natura partium orationis prope tota colligitur. Sed plurima tamen in hoc genere occurrunt, in quibus ab eo, quod ufu et confuetudine firmatum eft, ordiri debeat disputatio. Sic illud, quod multa verba in Graeco fermone genitivum regunt, quae in aliis linguis alios cafus habent, non poteft fane nifi exemplorum auxilio cognofci: fed unde ifta nata fit linguarum diverfitas, amplius eft explicandum: quod qui facere inftituerit, eamdem rem a diverfis populis diverfa ratione cogitari folitam animadvertet. Septimam denique grammaticae partem dialectis dedi, non quod hae fint quafi feparata quaedam pars huius doctrinae, fed quod, fi feorfim pertractantur, merito videantur ultimo loco collocari. Nam quum in fex prioribus grammaticae partibus nulla fit, quin a diverfis Graeciae gentibus aliquantum fuerit immutata, confentaneum videtur, in quaque grammaticae parte has difcrepantias diligentius exponere. Eaque res in quorumdam locorum explicatione etiam utilitatem habet permagnam, ut in declinationibus et coniugationibus. Quo-

niam enim permultae formae, quae postea per universam Graeciam usurpabantur, ex antiquioribus, iisque aut minus frequentatis aut propemodum oblitteratis ortae sunt, multo maior harum explicationi accedet perspicuitas, si ubique earum origines indicantur. Id ego in verbi Graeci expositione sequutus sum.

Sed dicam nunc de iis, quae a me de Graeca grammatica tum in hoc volumine disputata sunt, tum postea tractabuntur.

Quos nunc edidi de emendanda ratione Graecae grammaticae duos libros, eorum primus de elementis est, qui duas complectitur disputationes, alteram de litteris, alteram de accentibus. Ac de litteris ea tantum attingere placuit, quae aut neglecta a superioribus grammaticis essent, cuiusmodi sunt duae diphthongi, aut in memoriam viderentur plurimis revocari debere, aliena temere sectantibus. De accentibus autem quae adnotavi, ea in delineatione quadam huius doctrinae consistunt, neque ad universum, qui de accentibus est, locum pertinent. Nolebam enim ea, quae sola veterum auctoritate constant, coacervare, quamquam in his quoque sunt, quae diligentiori explicatione digna videantur. Itaque ea maxime persequutus sum, quae plurimis et maximis obnoxia sunt dubitationibus, vocabula enclitica et ea, quae proclitica nominavi. Sed est alius etiam in elementorum Graecae linguae expositione locus, quem quidem pror-

ſus intactum reliqui, non qui eum parvi momenti eſſe arbitrarer, ſed quod ad eius illuſtrationem me hoc minus paratum eſſe intelligebam, quo magis eum locum a ſuperioribus grammaticis omnibus neglectum animadvertebam. Eſt ea, quam dico, disputatio de ſpiritibus, de quibus perpauca, eaque nullo ordine, nulla diſciplinae via recentiores ex antiquis ſcriptoribus collegerunt. At hanc quoque rem accurate cognoſcere oportet grammaticum: quo magis optandum eſt, ut ei doctus ac diligens interpres contingat.

In ſecundo libro de partibus orationis disputavi: qui locus explicationem requirere videbatur eo diligentiorem, quod omnium maxime in partibus orationis poſita eſt natura linguarum. Sunt enim partes orationis ſigna, quibus notitiarum partes in ſermone exprimimus. Quare uti his nulla lingua carere poteſt, ita ex earum diverſa conformatione diverſoque uſu plurimae maximaeque naſcuntur linguarum differentiae. Videbantur autem partes orationis neque ab iis, qui Graecam grammaticam ſcriptis expoſuerunt, neque ab illis, qui caeterarum perſequuti ſunt rationem linguarum, ita eſſe explanatae, ut vel, quae communia ſunt omnium linguarum, vel quae propria Graeci ſermonis, clare poſſent intelligi. Quamobrem ſic de hac re disputandum exiſtimavi, ut quum illa perſequerer, quae in cuiuscumque linguae explicatione deberent tractari,

tum vero maxime Graecae linguae rationem haberem. Sed quoniam in partibus Graecae orationis quidam loci facillimi sunt, ut is, qui est de declinationibus, eos praetermittendos putavi, ne aut vulgata repetere, aut in emendandis erroribus, quos quivis corrigere posset, operam consumere cogerer. Verumtamen de coniugatione non poteram non dicere accuratius. Cuius rationes quum viderentur in Graeca quidem lingua obscurissimae esse, operam dedi, ut ad eas expediendas et veriorem, quam superiores grammatici, et faciliorem viam ostenderem. In qua quidem re ea tantum, quae summa sunt, tetigi, temporum derivationem, et formarum cuiusque verbi origines. Caetera, quae his quasi fundamentis nituntur, ii debebunt explicare, qui universam persequuntur Graecae grammaticae doctrinam. In illis autem, quae potissima sunt in hoc genere, quum index verborum non de more tempora sua formantium numeretur, adnotationes ad hunc indicem adieci, breviores illas quidem, quam plena grammaticae expositio exigit, sed satis tamen, nisi fallor, idoneas ad rationem demonstrandam, qua procedere grammaticum in hac re oporteat. Nam ne Buttmannus quidem, qui primus videtur tritam in hoc indice viam reliquisse, ea attulit, quae ubique aut cum veterum testimoniis, aut cum analogiae probabilitate consentirent.

Tertius liber ſyntaxin complectetur, partem Graecae grammatices longe omnium difficillimam. Quam qui variarum obſervationum coacervatione confici poſſe exiſtimant, hac ipſa re omnem artis diſciplinam abiici volunt. Atque omnino huiuscemodi obſervationes, quibus nunc fere conſtat Graeca ſyntaxis, aptiores lexicis, quam doctrinae grammaticae ſunt. Nam quae vere ſyntaxis dici mereatur, ea in quosdam locos deſcribenda eſt, ut tamquam e fontibus ſuis ſingula conſtructionum genera repeti poſſint. Quamquam in hoc quoque genere magna cautio adhibenda erit, ne uſus diverſarum aetatum gentiumque, immo etiam diverſorum ſcriptorum unius gentis aetatisque confundatur.

Supereſt denique alius doctrinae grammaticae locus, quem aliquando pertractare in animo eſt, prosodia Graecorum metrica. Eius rei nunc propterea tantum mentionem facio, quia plurimi, quam late ea pateat, adeo ignorare videntur, ut ſatis habeant tritas et pervulgatas prosodiae regulas in emendando ſequi, ad ea autem, quae paullo magis recondita ſunt, ne animum quidem advertant. Nam non ſolum Atticorum poetarum alius eſt, atque Ionicorum vel Doricorum uſus, nec tragici tantum a comicis et lyricis, epici autem ab his omnibus diſcedunt: verum maxima etiam reperitur prosodiae diverſitas inter epicos antiquiores et recentiores, inter Homerum

et Hesiodum, inter Euripidem et reliquos tragicos. Neque satis est in hoc genere syllabarum mensuram notare, sed, quod equidem nondum a quoquam observatum vidi, etiam accentuum habenda ratio est. Ita, ut hoc utar, vocabulum καλός nusquam ab Aeschylo et Sophocle, in diverbiis certe, sic collocatur, ut prima syllaba in arsin incidat. Contra Euripides et hoc et alia multa in accentibus sibi indulsit, quae caeteri summo studio vitanda censuerunt.

Addidi huic volumini quatuor libellos Graecorum grammaticorum antea non editos. Eos descripsi e duobus codicibus Augustanis, quos venia sapientissimorum inclitae reip. Augustanae Septem virorum utendos nactus eram. Augustana enim bibliotheca uti copiis veterum codicum insignis est, ita non minus propter humanitatem eorum, qui ei praesunt, celebratur. Qui quoties quantumque litterarum studia opibus illis adiuverint, quum plurimae antiquorum editiones scriptorum testantur, tum ad haec egregium documentum accedit appendice huius voluminis. Appendix ea hisce libellis constat.

Primum locum tenet Herodiani fragmentum περὶ ἡμαρτημένων λέξεων. Id descriptum est e codice eo, qui in Reiseri catalogo p. 64.n. 78. memoratur. Sed Reiserus ut saepius aut omisit aliquid, aut negligentius indicavit, ita huic libello indicem fecit *de formatione casuum in qui-*

busdam nominibus. Atqui codex indicem habet minio ſcriptum, quem ego poſui, Αἰλίȣ Ἡρωδιανȣ̃ περὶ ἡμαρτημένων λέξεων: ſed nomen Aelii Herodiani ita humore et vetuſtate obſcuratum eſt, ut non niſi contentiſſima oculorum acie legi poſſit. Arbitror autem non ingratum fore hoc Herodiani fragmentum doctis hominibus. Eſt enim pars eius libelli, ex quo excerpta habemus Phrynicho et Moeridi adiecta, quorum comparatione facile intelligitur, id, quod nunc in lucem prodit fragmentum, non collectum ex Herodiani ſcriptis, ſed partem ipſius Herodianei libelli eſſe.

Sequitur proxime Herodianum praecedens in eodem codice fragmentum lexici Graeci. Eum indicem feci eo permotus, quod Brunkius in lexico Sophocleo v. λαγὸς et σύαγρος eadem, quae noſter grammaticus habet, e lexico Regio MS. affert. Neſcio tamen an verius hic libellus ſit Nicephori Gregorae technologia grammatica, quem indicem habet Reiſerus. Nam in codice ea, quae hic ut lexici Graeci fragmentum edita ſunt, nullum titulum habent, ſed praecedunt tres paginae, quae praefationis inſtar haberi poſſunt, quamvis eas ad ſequentia ſpectare nullo poſſit certo colligi argumento. Huic autem praefationi praefixus eſt hic titulus: τȣ̃ σοφωτάτȣ Νικηφόρȣ τȣ̃ Γρηγορᾶ τεχνολογίᾳ περὶ γραμματικῆς.

Libellum de conſtructione verborum decripſi e codice, quem Reiſerus habet p. 24. n. 19.

Cuius ille ſcriptoris ſit, eo magis obſcurum eſt, quo plures huiusmodi libelli in catalogis bibliothecarum memorantur. Conf. Fabricii biblioth. Gr. vol. VI. p. 339. 343. 348. Dignus videbatur, qui ederetur, tum quod plurima in eo afferuntur veterum ſcriptorum loca, tum quod verba quaedam rariora continet.

Denique ex eodem codice ſumptae ſunt regulae de proſodia, in quibus ut multa falſa occurrunt, ita haud pauca optimae frugi ſunt. Libellus hic videri poſſit Herodiani eſſe, e cuius ſcripto περὶ διχρόνων Brunkius in Lexico Sophocleo v. φάρος eadem ferme, quae ſectione 104. leguntur, affert. Quamquam veri ſimilius eſt, eum quum ex Herodiano, tum ex aliorum ſcriptis grammaticorum hauſtum eſſe.

Caeterum in hac appendice grammaticorum curavi, ut codicum lectio diligentiſſime conſervaretur, niſi in accentibus, quos multis in locis mutavi, ibi autem, ubi ſermo eſſet de accentibus, etiam praviſſime poſitos conſervavi. In ipſis verbis ubi aliquid mutavi, id in adnotationibus commemoratum eſt, niſi perpaucis in locis, quos non correxiſſe piaculum fuiſſet.

INDEX CAPITVM.

LIBER I.

De elementis.

LIBER II.

De partibus orationis.

DE EMENDANDA RATIONE GRAECAE GRAMMATICAE.

LIBER I.

DE ELEMENTIS.

Cap. I.

De partibus doctrinae grammaticae.

Sermonis uſus, quo nulla res ab hominibus reperta eſt admirabilior, iisdem, quibus rationis humanae cultura, natus initiis eſt, eadem habet incrementa, iisdem denique damnis afficitur. Eſt enim ſermo quaſi imago quaedam humanae rationis, cuius quum exprimendis cogitationibus inſerviat, eadem notitiarum genera, easdem formas, differentias, rationes complectatur neceſſe eſt, quibus cogitationum multiplex diſtinguitur varietas. Quamobrem ſi nunc, poſtquam mentis humanae naturam clarius perſpicere coepimus, aliqua lingua non e diuturno ſermonis uſu paullatim colligenda, ſed de integro tota et invenienda et

perficienda esset, credibile est, eam, etiam absque aliarum exemplis linguarum, in quae quis intueretur, omnes perfectionis numeros impleturam esse. Quo magis mirari oportet, quod in omnibus linguis, quae ubique per latum orbem terrarum fortuitis auctae incrementis aut olim floruere, aut nunc in usu sunt, pro cuiusque populi indole et cultura tam clara reperiuntur atque luculenta rationis vestigia, ac si linguarum origo acutissimis potius ingeniis, quam temere dominanti fortunae deberetur. Scilicet adeo magna quaedam ac praepotens vis est humanae rationis, eam ut etiam nescientes in omnibus rebus agundis ducem habeamus atque gubernatricem. Cuius si vestigia ubique diligenter persequimur, plurima, quae aliter ignorata atque neglecta iacebunt, eruantur necesse est claraque in luce collocentur, quo denique ordo ille et nexus elucescat, quo omnis rerum humanarum continetur universitas. Atque in hoc genere eorum quoque, qui vocantur grammatici, insigne munus est: qui si id agunt, quod debent, ut ex ipsa ratione humana, veluti fonte omnis sermonis, linguarum naturam constitutionemque explicent, tantum abest, ut contemnendi sint, tamquam qui rem levem parvique pretii tractent, ut paucis eorum, qui in rebus elaborant, quae merito praestantissimae habentur, vel utilitate studiorum suorum vel dignitate cedant. Nam sive apte et perspicue dicere, sive, quae ab aliis dicta fuerint, recte intelligere doceant, quid agunt aliud, quam ut recte cogitandi praecepta tradant? Quamobrem non solum ipsarum peritia linguarum in grammatico requiritur, sed idem philosophiae quoque idoneam cognitionem, cauto iunctam subtilique iudicio, habeat necesse est.

Etenim duplex omnino grammatici officium est, alterum, ut, quae necessariae sint cuiuscumque linguae, et ab ipsa natura constitutae partes, bene intelligat, alterum, ut, qua ratione ea, quam explicandam sibi sumpsit, lingua istis partibus usa sit, easque conformarit, probe habeat perspectum. In utraque re a plerisque videmus vehementer erratum esse, quum nunc ea, quae in linguarum explicatione ad philosophiam pertinent, non satis callerent, nunc ea, quae experientia diuturnoque usu colligenda sunt, parum cognovissent, nunc denique simul in utroque genere male essent versati. Quorum errores sine immodestia ab nobis reprehendi arbitramur, siquidem eorum partim illis temporibus vixerunt, quibus hoc philosophiae lumen, quo nunc utimur, nondum erat litteris admotum, partim autem levitate atque inertia sua iustam reprehensionem meriti sunt. Nam ut parcendum debilitati sit, adversus segnitiem et levitatem male fueris clemens, quae non naturae sunt, sed animi vitia. Ac pleraeque res multo minus sunt, quam putantur, difficiles, si quis ad eas patefaciendas strenue accedat, neque aut deterreri se specie difficultatis patiatur, aut mirum quantum se egisse censeat, si aliquid lucis hic illic attulerit. Nam ii demum litteris vere prosunt, qui non ante desistunt, quam penitus unamquamque rem exhausisse se intelligant.

Atque doctrinae grammaticae omnem ambitum facile licet dimetiri. Nam quum universa sermonis natura posita sit in animi cogitationibus vocis auxilio declarandis, in promptu est, omnem grammaticam tribus contineri partibus, quarum prima de elementis, secunda de partibus orationis, tertia de constructione est, quam σύνταξιν

Graeci vocant. Nam et ſigna noviſſe oportet, quae animi cogitationibus exprimendis inſerviant, et ipſae rerum notitiae quas habeant diverſitates, ſcire convenit; tum denique modos rationesque explicatas eſſe neceſſarium eſt, quibus cogitationes inter ſe vel coniungi vel diſtingui poſſint.

Ex his, quas dixi grammaticae partes eſſe, ſecunda pars, quae de partibus orationis agit, primarium locum obtinet. Hac enim conformatio ipſa cuiusque linguae et quaſi corpus continetur: cuius quae ratio ſit, maximam partem ſine experientiae auxilio e communi linguarum natura explicari poteſt. Quae autem reliquae ſunt partes grammaticae, longe ſunt dignitate inferiores, quarum altera, quae de elementis eſt, tota e copiis experientiae eſt haurienda, altera, quae ſyntaxis vocatur, partim ratiocinando e primaria illa grammaticae parte elicitur, partim non minus, quam quae ad elementa pertinent, uſu et experientia debet cognoſci.

CAP. II.

De pronunciatione generatim.

Sed ad elementa quod attinet, quorum ſigna litterae ſunt, de iis duplex disputatio eſt, prima, qua, quis cuiusque elementi ſonus ſit, quaeritur, altera, quae de vi illa agit, qua elementa in vocabulis coniuncta pronuncianda ſint, quae vis accentus vocatur. Litterarum autem aliae vocales ſunt, aliae conſonantes. Atque de vocalibus, quae

vocum quasi fundamenta sunt, primo dicendum videtur.

Sed antequam ad hanc rem explicandam accedamus, generatim exponendum est de elementorum Graecae linguae pronunciatione, quae, ut in lingua pridem emortua, multis visa est plurimum ambiguitatis habere. Qui quum in duas maxime partes discesserint, quarum altera Reuchlinum, altera Erasmum sequitur auctorem, illorum quidem sententia, qui cum hodierna Graecae linguae pronunciatione veterem conspirasse putant, merito ita iam a viris doctis contempta est, ut, si quis hodie eam defendere auderet, ridendum se ac despiciendum praebere videretur. Erasmi autem secta, saniore usa iudicio, etsi haud dubie veram ingressa viam est, tamen, ne sit inutilis, et correctione indiget nonnullarum rerum, et tersum requirit cultumque os eorum, qui ista pronuntiatione utuntur. Quam pauci vero sunt, qui vel aliqua polleant aurium subtilitate, ut vocum discrimina celeriter notare apteque exprimere possint, nec crassos planeque rusticos effundant sonos. Nec mirum: quippe isti nec sciunt, quomodo quaeque vox pronuncianda sit, neque ut sciant, exercitatione idonea pronunciationem adiuvant. Dicam de utraque re, quod sentio.

Ac veterem Graecae linguae pronunciationem qui explicare studuerunt, Latinae inprimis linguae usi exemplo sunt, quae quum magnam partem Graecas origines habeat, aptissima ad eam rem visa est. Nec sane dubitari potest, quin ista harum linguarum comparatio plurimum lucis attulerit. Verum tamen mihi quidem aliud esse videtur ad eruendam veterem Graecae linguae pronunciationem et certius multo et uberius adiumentum, quod

miror a plerisque omnibus longe minus, quam par erat, adhibitum esse, comparationem dialectorum Graecae linguae. Etenim tantum abest, ut haec disputatio, quod fortasse quis opinetur, in circulum redeat, quia nulla aliunde nota pronunciationis regula adhibeatur, ut ipsa illa variarum vocum permutatio, quo certius cognationem sonorum indicat, eo apertius videatur singularum litterarum vim et naturam ostendere. Est enim hoc in ea re ingens et incomparabile commodum, quod Graeci, secus atque hodie in plerisque linguis fieri videmus, in scribendo litterarum vim, quam vocabulorum scripturam, constanter servare maluerunt. Nam in quibus linguis eaedem litterae diversos sonos notant, eae linguae postquam labentibus saeculis interierunt, earum pronunciatio nulla ratione potest restitui. Graeci autem, ut in omnibus rebus mira ac prope divina simplicitate fuerunt, ita etiam in scribendo parum curarunt, iisdemne litteris an aliis eadem vocabula ubique scriberentur, dummodo, quae cuiusque vocabuli diversis in locis pronunciatio esset, litterarum constans usus indicaret. Qua re hoc sunt consequuti, ut posteri, donec scripta Graeca exstabunt, quasi vitalem vim his scriptis addere, ipsosque priscos homines, quos tantopere admirantur, coram audire loquentes possint. Hoc autem, quod dixi, in litterarum usu, non in vocabulorum scriptura, constantes fuisse Graecos, quam late pateat, ex eo cognoscitur, quod alia omnia potius in scribendo negligenda censuerunt, dum veram pronunciationem notarent. Sic, quamquam omnes diphthongi natura longae sunt, non dubitaverunt tamen etiam breves vocales, quae quidem diphthongorum pronunciationem haberent, diphthongis exprimere. Quod factum videmus in lingua Boeotorum

omninoque Aeolensium, qui quum litteram υ ut Latinum u pronunciarent, ου scribebant non solum ubi longa esset ista littera, ut in φοῦτα pro φῦτα, κῦμα pro κῦμα, sed etiam ubi corriperetur, ut in λιγυρὸς pro λιγυρός, θυγάτηρ pro θυγάτηρ, κύνες pro κύνες. Ita enim scribendum in Etym. M. p. 632. l. 53. non κῦνες. Vide Koenium ad Gregor. Cor. p. 179. Scholiasten Hephaestionis p. 62. et Priscianum lib. I. p. 554. allatum a Bentleio ad fragm. Callim. CCLVIII. Viollisoni proleg. ad Hom. p. 49. Iidem Boeoti quum αι ut η pronunciarent, dixere λεγόμενη, ποιόμενη, teste Eustathio p. 365, 28. nihil mutato propter longam vocalem accentu. Contra perpauca sunt exempla, in quibus pronunciatio earumdem litterarum diversa fuerit: quod equidem in his tantummodo factum arbitror, in diphthongo αι et in litteris γγ, de quibus infra dicetur.

Quae quum ita sint, poterit dialectorum comparatione facillime singularum pronunciatio litterarum definiri. Nam quo cuiusque litterae vis per universam Graeciam servata constantius fuit, eo clarius e permutatione litterarum colligere licebit, quae litterae inter se cognatae fuerint, cognatarum autem quae fuerit diversitas. Sunt enim quaedam genera litterarum, quae quas litteras continent, eae propter soni similitudinem in omnibus linguis permutari solent, ut litterae labiales, aut gutturales, aut illae, quarum principatum tenet S, multoque magis litterae vocales, quarum admodum multiplex variatio est. Inde etiam aliarum exemplum linguarum magna cum utilitate adhiberi potest ad veterem Graeci sermonis pronunciationem explicandam, propterea quod eaedem in aliis quoque linguis si non litterarum, at sonorum tamen permutationes occurrunt.

Praeterea vero non est consistendum in sola veteris pronunciationis cognitione, sed usus etiam adhibendus est atque accurata exercitatio, ut ad cultissimam ac politissimam linguam os quoque cultum atque eruditum afferatur. Nam sicut in omnibus linguis, ita etiam in lingua Graeca multa sunt, in quibus doctrinae exigua utilitas est, nisi usus et vocis apta quaedam conformatio accedat. Ex quo genere in Graeca lingua haec quinque sunt, mensurae syllabarum iusta notatio, accentuum cum mensura syllabarum apta conciliatio, litterarum finalium mutatio, litterae ν paragogicae usus, perita denique syllabarum mutarum pronunciatio. Quae res quum hoc minus praetereundae sint, quo maiorem sermoni elegantiam addunt, vulgo tamen eo magis negliguntur, quo subtilior ad eas recte exprimendas et eruditior oris exercitatio requiritur.

Cap. III.

De prosodia.

Ac primum quidem quod ad mensurae syllabarum notationem attinet, plerique in eo peccant, quod nunc vocales natura longas, maxime sequente duplici consonante, ut breves proferunt, nunc autem vocales natura breves, quae aut accentum habent, aut positione consonantium syllabam longam constituunt, aut in versibus numeri auxilio producuntur, aut denique extremae in vocabulis sunt, ita pronunciant, ac si natura longae essent. Sic μᾶλλον multi proferunt, α brevi, ut

vix differat a *μαλλόν*. Contra *μάλα* dicunt, et *λέγω*, vocalibus longis, ut aliquis Doricum *μᾶλα* et diversissimae significationis verbum *λήγω* audire sibi videatur. Eodem modo,

Ἀτρείωνα δ' ἔπειτα χόλος λάβεν,

et,

Βοαγρίε ἀμφὶ ῥέεθρα,

tamquam si *α* in *Ἀτρείωνα* et *Βοαγρίε* longa esset, pronunciant. Porro

αἰδοῖός τέ μοί ἐσσι, φίλε ἑκυρέ, δεινός τε,

ita proferunt, ac si femininum esset, *φίλη ἑκυρή*. Eiusdemque generis illa sunt in versuum heroicorum initiis,

διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄμβριμον ἔγχος,
φίλε κασίγνητε, θάνατόν νύ τοι ὅρκι' ἔταμνον,
ἐπειδὴ νῆάς τε καὶ Ἑλλήσποντον ἵκοντο,

nec minus haec,

ἀθάνατος ὥς,
ἀκάματον πῦρ,
θυγατέρα ἥν,
προτὶ Ἴλιον ἀπονέοντο,
μή μιν ἀποέρσειε,
τὰς δὲ διαμελεϊστὶ ταμὼν ὠπλίσσατο δόρπον.

Denique in vocabulis brevibus, quibus vocabula finiuntur, multi correptionem negligunt, ita ut v. c. *ἐμέ*, *ὦ κάκις' ἀπολέμενε*, neutrum pluralis numeri *κακά*, et alia plurima, confundantur cum *ἐμή*, *ὦ κάκις' ἀπολεμένη*, *κακᾶ* feminino Dorico.

Deinde autem in accentibus cum syllabarum mensura rite coniungendis vulgo vehementer peccatur, quos quidam plane negligunt, plerique autem solos pronunciant, syllabarum pondus susque deque habentes. At vero duplex in Graeca,

ut in omnibus linguis, pronunciatio eſt, altera vitae communis ſolutaeque orationis propria, altera poetica. Atque in carminibus legendis ſane omnis accentuum notatio, quae metro nocere poſſit, abeſſe debet, niſi in antiquiſſimis poetis, quos accentum nonnumquam magis quam ſyllabarum menſuram ſequutos eſſe in libro I. de metris demonſtravimus. Quae autem ſoluta oratione ſcripta ſunt, in his legendis et accentus notari, nec menſura ſyllabarum praetermitti debet, ut ſimul utrumque exaudiatur. De hac re eodem in libro copioſius explicatum eſt.

CAP. IV.

De littera ν finali.

Tertium, quod in Graecae linguae pronunciatione diligenter obſervandum eſt, in mutatione poſitum eſt litterae ν finalis. Huius enim pronunciatio quum pendeat e prima ſequentis vocabuli conſona, curandum eſt, ut pro ſequentis litterae natura pronuncietur. Quippe recentior ſcriptura originem verborum, non pronunciationem, ſequuta eſt, niſi in paucis vocabulis, ut ἀμ πόλιν, κὰπ φάλαρα, κὰγ γόνυ: ſed iſtam pronunciationis rationem multo latius patuiſſe documento ſunt veterrima monumenta, in quibus priſco more, quomodo quidque pronunciaretur, ita etiam ſcriptum exſtat, ut in marmore apud Koenium ad Gregor. Corinth. p. 83. ΥΠΑΡΧΕΙΝ ΔΕ ΤΩ ΔΙΚΑΣΤΑ ΚΑΙ ΠΡΟΞΕΝΙΑΜ ΠΑΡΑ ΤΑ ΠΟΛΕΙ ΚΑΙ ΕΦΟΔΟΝ ΕΠΙ ΤΑΜ ΒΟΛΛΑΝ ΚΑΙ ΔΑΜΟΜ ΜΕΤΑ ΤΟΓ ΧΡΗΜΑΤΙ-

ΣΜΟΝ ΤΟΜ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ. Et in eodem marmore apud eumdem p. 292. ΤΑΜ ΠΑΣΑΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΓ ΚΑΙ ΣΠΟΥΔΑΝ, et ΑΝΔΡΑ ΚΑΛΟΓ ΚΑΓΑΘΟΝ. Sunt autem litterae ν finalis duae tantum mutationes, prima ut tamquam μ pronuncietur ante litteras labiales, β, μ, π, φ, ψ; altera ut in γ abeat ante gutturales, γ, κ, ξ, χ. Ante alias vero consonas omnes immutata manet litterae ν finalis pronunciatio. Ita v. c. hi versus in Hecubae Euripidis prologo:

> ὃς τὴν ἀρίστην Χερσονησίαν πλάκα
> σπείρει, φίλιππον λαὸν εὐθύνων δορί,

sic legendi sunt, veluti si scriptum esset ἀρίστηγ Χερσονησίαμ πλάκα, non autem etiam φίλιππολ λαόν. Praeterea illud quoque meminisse oportet, istam litterae ν mutationem non posse admitti, ubi maior quaedam orationis intercapedo aliquam pronunciationi pausam affert, cuiusmodi apud prosae orationis scriptores maiores interpunctiones, apud poetas autem fines versuum sunt, ut in Persis Aeschyli,

> ἀλλὰ μὴν ἵμειρ' ἐμὸς παῖς τήνδε θηρᾶσαι πόλιν.
> πᾶσα γὰρ γένοιτ' ἂν Ἑλλὰς βασιλέως ὑπήκοος.

Nam apud poetas in mediis versibus nihil impediet interpunctio, quo minus ν in aliam litteram mutetur, ut in Phoenissis v. 40.

> ὁ δ' εἷρπ' ἄναυδος, μέγα φρονῶν. πῶλοι δέ νιν
> χηλαῖς τένοντας ἐξεφοίνισσον ποδῶν.

Continuari enim versuum numeri postulant, nec longiori pronunciationis morae copiam faciunt.

Sed haec veteris pronunciationis elegantia recentiori aetate paullatim videtur interiisse. Cuius rei auctorem habemus Dionysium Halicarnassensem. Is enim in libro de structura orationis cap.

XXII. p. 186. ed. Vpton. de Pindari verſu in principio ſecundi dithyrambi, quod pro exemplo auſterae harmoniae affert,

ἐπί τε κλυτὰν πέμπετε Χάριν, θεοί,

haec ſcribit: πάλιν τῷ κλυτὰν προσηγορικῷ τὸ πέμπετε ῥηματικὸν ἐπικείμενον οὐκ ἔχει συνῳδὸν οὐδ' εὐκέραστον τὸν ἦχον· ἀλλ' ἀνάγκη στηριχθῆναι τὸ ν, καὶ πιεσθέντος ἱκανῶς τούτου ἀκουστὸν γενέσθαι τὸ π. οὐ γὰρ ὑποτακτικὸν τῷ ν τὸ π. τούτου δὲ αἴτιος ὁ τοῦ στόματος σχηματισμός, οὔτε κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, οὔτε τῷ αὐτῷ τρόπῳ τῶν γραμμάτων ἐκφέρων ἑκάτερον, τὸ π καὶ τὸ ν. τοῦ μὲν γὰρ περὶ τὸν οὐρανόν τε γίνεται ἦχος, καὶ τῆς γλώσσης ἄκροις τοῖς ὀδοῦσι προσανισταμένης, καὶ τοῦ πνεύματος διὰ τῶν ῥωθώνων μεριζομένου· τοῦ δὲ π, μύσαντός τε τοῦ στόματος, καὶ οὐδὲν τῆς γλώσσης ἐνεργούσης, τοῦ τε πνεύματος κατὰ τὴν ἄνοιξιν τῶν χειλῶν τὸν ψόφον λαμβάνοντος ἀθροῦν, ὡς δὴ καὶ πρότερον εἴρηταί μοι. ἐν δὴ τῷ μεταλαμβάνειν τὸ στόμα σχηματισμὸν ἕτερον ἐξ ἑτέρου μήτε συγγενῆ μήτε παρόμοιον ἐμπεριλαμβάνεταί τις χρόνος, δι' οὗ συνίσταται τὸ λεῖον καὶ εὐπετὲς τῆς ἁρμονίας, καὶ ἅμα οὔτε ἡ προηγουμένη τοῦ πέμπετε συλλαβὴ μαλακὸν ἔχει τὸν ἦχον, ἀλλ' ὑποτραχύνει τὴν ἀκοήν, ἄρχουσά τε ἐξ ἀφώνου, καὶ λήγουσα εἰς ἡμίφωνον. Eodem modo idem p. 196. de prooemio Thucydidis disputans ita ſcribit: ἔπειθ' αἱ μετὰ τοῦτο γινόμεναι συγκοπαὶ τῶν ἤχων, τοῦ τε ν καὶ τοῦ τ, καὶ τοῦ π, καὶ τοῦ κ, τετράκις ἑξῆς ἀλλήλαις παρακείμεναι χαράττουσιν εὖ μάλα τὴν ἀκοήν, καὶ διασαλεύουσιν ἀξιολόγως τὰς ἁρμονίας, ὅταν φῇ, τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων. At et Pindarus et Thucydides mirati, puto, forent Dionyſium, ſi ita ab eo ſua ſcripta explicari vidiſſent: quorum alter pronunciabat,

ἐπί τε κλυτὰμ πέμπετε χάριν, θεοί,

alter autem τὸμ πόλεμον τῶν Πελοποννησίωγ καὶ Ἀθηναίων.

Cap. V.

De littera ν paragogica.

Porro alia eaque eximia pronunciationis elegantia in iusto usu litterae ν paragogicae posita est. Eius litterae quadruplex utilitas est: prima, quam omnes norunt, ut hiatui vocalium emolliendo inserviat; secunda, de qua quidam dubitant, ut in versibus syllabam longam efficiat; tertia, quam unus animadvertit Porsonus, ut in productione syllabarum etiam sequente duplici consonante adhibeatur; quarta denique, quam nemo dum videtur observasse, ut in versuum omninoque orationis fine aptam iustamque pausam constituat.

Atque fuerunt, qui in versibus syllabarum producendarum caussa litteram istam addi nollent, quia scilicet istae syllabae etiam sine litterae ν accessione produci posse viderentur, ut in hoc exemplo,

ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀπὸ σκοπιῆς εἶδε νέφος αἰπόλος ἀνήρ,

quod simile est illi,

ἅμα δὲ νέφος εἵπετο πεζῶν.

Quam opinionem quum in priore Homeri editione sequutus esset Wolfius, in praefatione ad secundam editionem Odysseae p. XXVIII seq. mutavit sententiam, nimis oneratam caesuram non esse novo onere premendam ratus. Neque enim similem

versum placere Graecis auribus potuisse, ut ille est Odyss. II. 166.

πάντεσσι. πολέσι δὲ καὶ ἄλλοισι κακὸν ἔσαι.

Quod sane verissime iudicavit. Nimirum si extra caesuram, ut loquuntur, i. e. in thesi producenda est istiusmodi syllaba, omnes addunt ν, ut in hoc versu:

τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον ἵει ἑκάεργος Ἀπόλλων.

Quidni vero idem faciamus in caesura, quam vocant, i. e. in arsi? Haec scilicet, inquiunt, suapte quadam vi syllabam brevem gravat. At, quamquam istam arseos praerogativam esse constat, tamen, si in thesi recte additur ν, quidni eodem iure poterit in arsi apponi? Immo hoc magis istam litteram arsis sibi vindicat, quod syllaba non solum producenda, sed etiam acuenda est. Ac quis non sentiat, quam incommode atque inepte eiusmodi syllabae acuantur, quae in communi sermonis usu propemodum breviores brevibus syllabis sunt? Nam aut additamenta sunt vocabulorum minime necessaria, ut ι dativorum pluralis, aut propter ipsam illam brevitatem frequentissime eliduntur, ut in verbis ε tertiae personae singularis, et ι pluralis. Hinc patet, multo magis absonum perversumque nasci sonum, si istae syllabae sine ullo positionis litterarum auxilio in arsi, quam si in thesi producuntur. Quis enim non facilius ferat hoc,

τοῖσι δ' ἴκμενον οὖρον ἵει ἑκάεργος Ἀπόλλων,

quam,

τοῖσι δὲ θεοὶ γάμον ἐξετέλειον,

acuta ea syllaba, quae quam maxime obscurari debebat. Quam pronunciationis asperitatem ut vitarent Graeci, credibile est, eos litteram addidisse, cuius auxilio syllabae istae legitimo modo

produci poſſent. Idque eo minus dubium eſt, quod metrorum ratio in iis verſibus, qui multas longarum breviumque ſyllabarum permutationes admittunt, omittenda iſta littera magnis obnoxia fuiſſet difficultatibus. Quis enim comicorum iambos, quis verſus Ionicos a maiore, quis lyrica et melica carmina legere ſine offenſione poſſet, niſi additum ν producendas, omiſſum corripiendas ſyllabas oſtenderet? Copioſe de hac re diſſeruit contra Wakefieldii temeritatem cenſor Britannus Hecubae Porſonianae. (*Monthly Review* 1799. menſe Iulio.)

Tantum vero abeſt, ut ν paragogicum ſola metri neceſſitate Graeci ante conſonantem adhibuerint, ut non videatur dubitandum eſſe, quin etiam duplici ſequente conſonante productionis aſperitatem acceſſione huius litterae emollierint. Obſervat quidem Wolfius in praefatione ad Odyſſeam p. XXIX. litteram iſtam a veteribus omiſſam eſſe, ſi duae conſonantes finem praecedentis vocabuli producerent; eamque conſuetudinem in Homeri certe ſcholiaſtis, melioribus codicibus, ipſo denique vulgato textu fere ſemper ſervari. Ac teſtimonii cauſſa affert ſcholiaſtae Veneti adnotationem ad illud in Catalogo v. 178.

Νιρεὺς δ᾽ αὖ Σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας εἴσας,

ὅτε δύο σύμφωνα ἡ συλλαβὴ ἐπάγεται, περιγραπτέον αὐτῇ τῆς προτέρας τὸ σύμφωνον. Ibidem alius ſcholiaſtes: *χωρὶς τοῦ ν τὸ ἄγε. καὶ ὅλως ἐφ᾽ ὧν τὰ ἐπιφερόμενα σύμφωνα* (ſcribendum videtur *δύο σύμφωνα*) *ἐστί, τὸ ἐκ τῆς προτέρας λέξεως σύμφωνον περιαιρετέον.* Eiusmodi plures hic illic ſcholiaſtarum obſervationes reperiuntur. Verum ſicuti multa ad grammaticorum libidinem efficta conſtanter ſeruata reperiuntur, ita hoc quoque magnopere vereor ne longiſſime a Graecorum veterum

confuetudine abhorreat. Grammatici fcilicet quum fyllabas, quas duae confonantes fequerentur, etiam fine litterae ν acceffione produci poffe intelligerent, pro nimia fubtilitate fua et curiofitate inutilem putarunt iftam litteram, omittendamque decrevertunt. Merito igitur Porfonus ad Oreften v. 64. etiam ante duplicem confonantem ν addendum cenfuit. Qui quae e tragicorum prosodia repetiit argumenta, fane magnam vim habent, ubi de tragicis quaeratur. Verum equidem hunc litterae ν ante duplicem confonantem addendae morem non Atticis tragicis propriam, fed communem poetis omnium Graecarum gentium fuiffe arbitror. Quid enim fit, quare afperitatem prosodiae, quam omiffio iftius litterae gignit, foli tragici fenferint, vitarintque, quum eadem remedii facilitas omnibus Graece loquentibus pateret? Quin aliud, idque haud leve, argumentum hanc fententiam confirmat. Nam cur v. c. Homerum exiftimemus in III. Iliadis v. 223. fic maluiffe dicere,

οὐκ ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆΐ γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος,

quam ἐρίσσειεν βροτός, quod pronunciabatur ἐρίσσειεμ βροτός, quum Graeci ἄμβροτος, Φαεσίμβροτος, ὀπιθόμβροτος, Κλεόμβροτος, et alia plurima, potius quam ἄβροτος, Φαεσίβροτος, ὀπιθόβροτος, Κλεόβροτος, dicenda putaverint? Non aliena eft ab hac re Euftathii adnotatio ad I. Odyff. p. 1382. l. 34. τὸ δέ, ὡς ἐῤῥέθη, ἐπλάγχθη ἀπὸ τοῦ πλάζω γενόμενον, πλεονασμὸν ἔπαθε τοῦ νῦ διὰ καλλιφωνίαν καὶ ὄγκον ἤχου, ὡς καὶ ἐπὶ τοῦ ἀμφασία ἐγένετο, καὶ ἐπὶ τοῦ ἄμβροτος, καὶ τερψίμβροτος καὶ τύμπανον, καὶ πίμπλημι, καὶ χρίμπτω, καὶ Φαεσίμβροτος, καὶ λίγξε βιός, καὶ ἐπὶ τοῦ λαγχάνω, καὶ λέλογχε, καὶ φυγγάνω, θιγγάνω, ἐρυγγάνω, τυγχάνω, καὶ ἐπὶ ἄλλων πολλῶν. In his illa tantum, φυγγάνω,

θιγγάνω, ἐρυγγάνω, videtur omittere debuisse, de quibus infra dicetur. Igitur quum Graeci veteres in mediis vocabulis litteram ν, vel illas, in quas mutari ν, solet, adhibuerint, quidni magis etiam idem factum putabimus in ultimis verborum syllabis, quae in arsin inciderent? Nam ut recte produci istae syllabae propter duplicis consonantis consequutionem possint, nemo tamen negabit, duriorem esse eam productionem, quae primam ex istis consonantibus avelli a suo verbo et ad praecedens vocabulum in pronunciatione apponi postulat, quam quum additum ν syllabam finalem et pronunciationis aliqua mora et commodiore consonantium positione producit. Certe quaecumque in vocabuli sequentis initio consonantes occurrant, non poterit placere ultima praecedentis vocabuli syllaba ictu acuta, si ea syllaba ex eo genere est, cuius insolens est productio. Nam quum istiusmodi vocabulorum duplex omnino ratio sit, altera, ut omisso ν ultimam brevem audiamus, velut τοῖσι, ἔλεγε, κέ, altera, ut addito ν eadem syllaba productior sit, velut τοῖσιν, ἔλεγεν, κέν, consentaneum est, eam formam ad productionem in versibus faciendam adhiberi, quae natura sua ad eum finem aptior est atque commodior.

Similem cautionem Latinos poetas adhibuisse adnotavi in eo libro, quem Germanice de metris scripsi, p. 143. Aegre enim in fine pentametri elegiaci verba collocant, quorum ultima syllaba produci nullo pacto possit, ut Catullus LXVII. 2.

salve, teque bona Juppiter auctet ope,

et LXVIII. 52.

scitis, et in quo me corruerit genere.

Haec enim verba eo molesta sunt in hac versus sede,

quod ſyllabae, quas numquam longas audire conſuevimus, producendae ſunt. Contra nihil offenſionis habent verſus eiusmodi, ut hic eſt,

dum meus aſſiduo luceat igne focus,

Nam etſi vocabulum *focus* non magis longam habet ultimam, quam haec verba, *ope* et *genere*, tamen, quoniam frequentiſſime eius ultimam ſyllabam productam animadvertimus, facile eam etiam ibi produci patimur, ubi nulla ſequitur littera conſonans.

Atque ut hoc obiter dicam, magnopere vereor, ne non magis cognata littera μ in medio quorumdam verborum, ſequente duplici conſonante, quam in fine vocabulorum ν paragogicum omittenda ſit. Eiusmodi eſt *ἀπλακέω* et *ἀπλάκημα*, quod Porſono nuper ubique pro *ἀμπλακέω* et *ἀμπλάκημα* reſtituere placuit: quum iſta forma primam ſyllabam brevem faciat, quae ubi longa eſt, additum habet μ. Atticis certe ſcriptoribus iſtam litterae μ detractionem hoc minus aſſignare licebit, quo magis hi productionem brevis ſyllabae ante mutam cum liquida fugere ſolent. Litteram μ in his vocabulis agnoſcunt grammatici, Etymologus Magnus p. 86. et Phavorinus, atque Heſychius, apud quem haec exſtant: *ἀμβλακεῖν, ἀμβλάκημα, ἀμπλακεῖν, ἀμπλάκημα, ἀμπλακίῃσιν, ἀμπλακήματα. ἀμπλακών, ἀπήμπλακον, ἤμπλακεν, ἤμπλακες.* Etymologus MS. *ἀμπλάκημα, τὸ ἁμάρτημα, παρὰ τὸ ἀναπλέκεσθαι τῷ ἀνθρώπῳ, ὡς σειρά. σειρὰ δὲ τὸ σχοινίον.* Lexicon MS. Auguſtanum: *ἀπλάκημα, ἁμάρτημα. ἐκ τοῦ πλέκω, πλακῶ, πλάκημα, καὶ ἀμπλάκημα. ἢ παρὰ τὸ ἀναπλέκεσθαι ἡμᾶς.* Nimirum ubi prima ſyllaba brevis eſt, μ omittitur, ubi producitur ea ſyllaba, additur μ, quod vel ex eo clarum eſt, quod nusquam occurrunt

ἤπλακεν, ἠπλάκηται, et ſimilia. Itaque Aeſchylus in Eumenidibus v. 923.

τὰ γὰρ ἐκ προτέρων ἀπλακήματά νιν
πρὸς τάσδ' ἀπάγει.

Sophocles in Oedipo Rege v. 471.

δειναὶ δ' ἅμ' ἕπονται
Κῆρες ἀναπλάκητοι.

Sic recte ibi Triclinius: eamque lectionem firmat ordo litterarum apud Suidam, in quo, ut vulgo apud Sophoclem, ἀναμπλάκητοι legitur. Alter codd. Auguſtanorum Sophoclis ἀνάμπλακτοι habet: in altero ſcholiaſtes ſic ſcribit: τὸ δὲ ἀναπλάκητοι ἀντὶ τοῦ κακαμπλάκητοι. τίς γὰρ χείρων ἁμαρτία φόνου πατρικοῦ καὶ μητρικῆς μίξεως; ἢ τὸ ἀναμπλάκητοι ἀντὶ τοῦ, ὡς οὐδεὶς ἥμαρτε. οὐδεὶς γὰρ λέγεται ἄμφω ταῦτα ποιήσας. Lexicon MS. Auguſtanum: ἀναμπλάκητοι, αἱ εἰς μηδὲν ἁμαρτάνουσαι, ἀλλὰ πάντων κρατοῦσαι. Brunkius vero incredibili ſocordia et hic ἀπλάκητοι edidit, et in Trachiniis v. 120. ἀπλάκητον, inepta adductus Abreſchii adnotatione ad Heſychium v. ἀπλάκητον, quod vocabulum iſte idem quod ἀναμάρτητον eſſe ſibi perſuaſerat e corrupto Heſychii πλακίησιν. At plane contraria eſſe debet verbi ἀπλάκητον ſignificatio. Neque Heſychii πλακίησιν aliud quidquam eſt, quam error librariorum, litteram initialem, quae minio poſtea ſcriberetur, omittentium. In verſu Trachiniarum male libri habent ἀμπλάκητον. Id et ſenſu poſtulante, et metro antiſtrophici verſus iubente, in quo recte Aldina κυκλοῦσιν habet, in ἀναμπλάκητον mutandum eſt, atque inde etiam corrigendus Heſychius. De Hercule loquitur chorus:

ἀλλά τις θεῶν
αἰὲν ἀναμπλάκητον Ἄιδα
σφε δόμων ἐρύκοι.

Aliud idque magis controverſum exemplum in vocabulo ὄβριμος exſtat, quod ſine littera μ ſcribendum putant Toupius ad Suidam vol. III. p. 251. Villoiſonus ad Apollonii Lex. Hom. p. 589. et Brunkius ad Apoll. Rhod. III. 1286. et ad Aeſchyli S. c. Theb. 796. Sed huius ſcripturae non afferunt aliam auctoritatem, quam veterrimorum librorum et grammaticorum, Apollonii ſophiſtae, et Heſychii. Rectius commemoraſſent Etymologum M. p. 613. qui, ὄβριμος, inquit, ἰσχυρός, γενναῖος, ἀπειλητικός, δυνατός. παρὰ τὸ βρὶ ἐπιτατικὸν μόριον, ὃ (male ὁ abeſt) δηλοῖ τὸ ἄγαν ἢ τὸ μεγάλως καὶ ἰσχυρῶς, γίνεται βρίμος, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ο ὄβριμος· καὶ ὀβριμοεργός, ὁ μεγάλοις ἔργοις ἐπιτιθέμενος, καὶ ἰσχυρὰ διαπραττόμενος. Et ſtatim idem de ſimili vocabulo: ὄβρυζος, παρὰ τὸ ἁβρὸν, ὃ σημαίνει τὸ τρυφερόν. Sic de his etiam Phavorinus. At nec librorum veterum ſcriptura, neque grammaticorum auctoritas eam vim habet, ut litteram μ damnandam eſſe ſtatuamus. Nam libris quidem nihil in hoc genere inconſtantius eſt, ita ut inde par ferme auctoritas pro addenda littera μ afferri queat: grammaticorum autem derivatio tantum abeſt, ut μ abiici poſtulet, ut, ſi quid analogiae tribuendum ſit, huius litterae acceſſionem etiam commendare videatur. Ὄβριμος enim ſimillimam originem habet, ut ἄβροτος. Quare ſi ἄμβροτος dixere Graeci, quidni eos etiam ὄμβριμος pronunciaſſe cenſeamus? Idque eo eſt etiam veri ſimilius, quod huius verbi prima ſyllaba ſemper producitur, ita ut numquam veterrimi quidem ὄβριμος ſine littera μ dixiſſe videantur.

Omnino enim quod ſupra de verbo ἀμπλάκημα et ἀπλάκημα adnotavi, in plerisque ſimilibus verbis videtur obtinuiſſe, additum fuiſſe μ, ubi ſyllaba producenda eſſet, omiſſum, ubi corripienda. Inde facile licebit coniecturam facere, quare et ὄμβριμος et ὄβριμος recte ſe habeant. Ὄμβριμος enim proprium videtur poetarum fuiſſe, qui primam ſyllabam producere conſueverint; ὄβριμος autem a proſae orationis ſcriptoribus adhibitum credibile eſt, quibus producendae primae ſyllabae nulla erat neceſſitas. Quo factum eſt, ut grammatici maximam partem ὄβριμος, ut magis vulgare uſuque tritum, commemoraverint. Vtraque ſcriptura apud Phavorinum exſtat: neſcio an non item apud Suidam, apud quem in Kuſteri quidem editione ſuis locis ὀβριμοεργὸς et ὄβριμος, atque infra ὀμβριμοεργὸς et ὄμβριμος occurrunt. Sed Kuſterus pro inſigni negligentia ſua, ſcripturae diverſitate adductus, gloſſam, quam ſemel ponere debebat, bis edidit locis diverſis. Nam in Mediolanenſi editione eo loco, ubi litterarum ordo ὀβριμοεργὸς et ὄβριμος poni poſtulabat, haec leguntur: ὀμβριμοεργός, ὁ μεγάλα ἔργα ποιῶν. ὄμβριμος, ἰσχυρός: infra autem in litteris ομ vocabula haec prorſus omiſſa ſunt. Contra in Baſileenſi editione eadem eodem modo ſcripta in litteris ομ leguntur, abſunt autem ὀβριμοεργὸς et ὄβριμος in litteris οβ. Idem accidit in Ὄμβρων, et ὄμβρυζον χρυσίον, quae Mediolanenſis tantummodo in litteris οβ, Baſileenſis non niſi in litteris ομ, Kuſterus autem utroque in loco habet. Ac neſcio an etiam ὀβρίκαλα, adhibitum in Aeſchyli Agamemnone vocabulum, et ἰβρίκαλοι, quod apud Heſychium exſtat, rectius ſcribantur ὀμβρίκαλα et ἰμβρίκαλοι. Certe id probabile ſit propter vocabula ἴμβηρις vel rectius ἴμβρις, et ὄμβρος, quae idem Heſychius explicat.

Denique mihi quidem litterae ν paragogicae usus eo usque patere videtur, eam ut omnino ibi, ubi vox loquentis requiescit, addendam existimem. Atque in poetis quidem, quorum omnis oratio ad aurium aestimationem composita est, non dubito, quin in fine cuiusque versus, qui quidem ultimam syllabam ancipitem habeat, addendum sit ν, quo facilius in ea syllaba vox consistere et pausam facere possit, antequam ad sequentem versum pergat. Id in iis versibus faciendum esse, quorum ultima syllaba metri lege longa esse debet, vix, puto, erit, qui neget. Ita quis est, quin sentiat, longe asperius ad aures accidere illud, quod vulgo legitur in Aeschyli Prometheo,

σήμηνον, ὅστις ἐν φάραγγί σ' ὤχμασε,

quam quod scribi debebat,

σήμηνον, ὅστις ἐν φάραγγί σ' ὤχμασεν.

Ad hanc quoque rem advocari ea poterunt, quae supra dixi de simili cautione Latinorum poetarum, syllabas, quas nulla ratione producere liceat, aegre in fine pentametri elegiaci collocantium. Illud autem difficilius fortasse a multis concedetur, etiam ubi in thesin, eamque brevem, dummodo non sit ab ancipitis syllabae usu aliena, versus exeat, addendum esse ν paragogicum. Dicent enim consentaneum esse, ut, si metri ratio ultimam syllabam brevem esse iubeat, nihil morae obiiciatur, quominus corripi ea syllaba possit. Nihilo tamen minus, si quis aures consuluerit, fateatur necesse est, in cuiusque versus extrema syllaba diutius morari vocem debere, quo is versus ab sequente versu iusto intervallo dirimatur. Nam si quis non pateretur in ista syllaba vocem parumper consistere, subito intercipienda foret, ne duorum versuum

numeri coalescerent. Quod patet non sine magna pronunciationis molestia fieri posse. Quae qui reputaverit, mecum, spero, sibi in animum inducet, Homerum sic pronunciare maluisse,

οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν,

aut Aristophanem,

αἵπερ γνώμην, καὶ διάλεξιν, καὶ νοῦν ἡμῖν παρέχουσιν,

quam omissa littera ν, etiamsi sequatur littera consonans.

Eadem regula observanda videtur in prosae orationis scriptoribus, quibus dialectus, qua scripserunt, non interdixit litterae paragogicae usu. In his quidem non omnium periodorum fines ista littera augendae sunt: quippe id repugnaturum esset amplius progredienti orationis perpetuitati: sed ibi tantum eam litteram addere oportebit, ubi quum insignior aliqua pars argumenti finiatur, vox recitantis diutius debet consistere. In Thucydidis libri II. fine nunc quidem legitur: καὶ τρίτον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε, ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψε. Et in fine libri III. καὶ ἕκτον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε, ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψε. Recte vero, mea sententia, quidam codices in fine libri IV. habent, καὶ ἔνατον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε, ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψεν. Id igitur etiam in II. et III. libro reponendum puto.

CAP. VI.

De syllabis mutis.

Denique de syllabis mutis dicam. Eo nomine illas intelligi syllabas volo, quae non sunt integrarum syllabarum loco. Sic Attici genitivi tertiae declinationis in εως non possunt duabus integris syllabis pronunciari. Id et accentus in barytonis docet, et metrum arguit, quod plerumque istas syllabas unius loco esse iubet. Nec tamen litteras εω in his genitivis prorsus in unam coalescere posse patet. Nam et saepe in versibus duabus syllabis pronunciantur, et scriptura sigillatim exprimuntur. Atqui, ut supra notatum fuit, Graeci, ut pronunciabant, ita scribere solebant. In his igitur syllabis cavendum est, si quis recte eas pronunciare vult, ne alteram vocalem prorsus omittat. Ambae enim audiri debent, sed in unam syllabam coniunctae, ita ut ea vocalis, quae mutam syllabam constituit, minus audiatur.

Sed erunt, qui hoc argumentum, quod ab accentu repetii, nullam vim habere contendant, propterea quod Attici perhibeantur in multis vocabulis, quorum ultima syllaba longa est, accentum in tertia a fine syllaba collocare. Cuiusmodi sunt non solum εὔγεως, ἀξιόχρεως, Μενέλεως, εὔκερως, in quibus syllaba ultimae proxima brevis est, sed etiam βαθύγηρως, καλλίγηρως, ὑπέργηρως, in quibus haec syllaba pariter atque ultima producitur. Atqui productarum syllabarum nulla potest pro muta haberi. Ergo accentus quidem, inquient, non poterit argumento esse, quo quis in proparoxytonis, quae ultimam longam, eam au-

tem, qūae ante ultimam eſt, brevem habeant, hanc brevem ſyllabam mutam eſſe contendat. Enimvero, ſi quidem Attici dixere *βαθύγηρως*, *καλλίγηρως*, *ὑπέργηρως*, et ſi quae ſunt horum ſimilia, recte contra noſtram ſententiam rationem iſti concluſerint. Verum id ipſum, etiam in nominibus, quorum ambae finales ſyllabae longae ſunt, accentum ab Atticis in tertia a fine ſyllaba collocatum fuiſſe, tantopere ab omni abhorret veri ſimilitudine, ut, ſi id factum credamus, omnem accentuum rite collocandorum doctrinam evertere oporteat. Afferam primo, quas equidem notavi, grammaticorum de hac re ſententias, quoniam id ab iis, qui recentiori aetate de his rebus ſcripſerunt, neglectum video. Igitur Athenaeus lib. IX. p. 400. ſic ſcribit: *Τρύφων δέ φησι· τὸν λαγὼν ἐπ᾽ αἰτιατικῆς ἐν Δαναΐσιν Ἀριστοφάνης ὀξυτόνως καὶ μετὰ τοῦ ν λέγει,*

λύσας ἴσως ἂν τὸν λαγὼν ξυναρπάσειεν ἡμᾶν.

καὶ ἐν Δαιταλεῦσιν,

ἀπόλωλα. τίλλων τὸν λαγὼν ὀφθήσομαι.

Ξενοφῶν δ᾽ ἐν Κυνηγητικῷ χωρὶς τοῦ ν καὶ περισπωμένως, ἐπεὶ τὸ καθ᾽ ἡμᾶς ἐστὶ λαγός. ὥσπερ δὲ ναὸν λεγόντων ἡμῶν ἐκεῖνοί φασι νεών, καὶ λαὸν λεών, οὕτω λαγὸν ὀνομαζόντων ἐκεῖνοι λαγὼν ἐροῦσι. τῇ δὲ τὸν λαγὸν ἑνικῇ αἰτιατικῇ ἀκόλουθός ἐστιν ἡ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Ἀμύκῳ σατυρικῷ πληθυντικὴ ὀνομαστική,

γέρανοι, κορῶναι, γλαῦκες, ἴκτινοι, λαγοί.

τῇ δὲ λαγὼν ἡ διὰ τοῦ ω παραπλησίως προσαγορευομένη λαγῷ παρ᾽ Εὐπόλιδι ἐν Κόλαξιν, ἵνα μὴ παρὰ μὲν βατίδες καὶ λαγῷ καὶ γυναῖκες εἰλίποδες. εἰσὶ δ᾽ οἱ καὶ ταῦτ᾽ ἀλόγως κατὰ τὴν τελευ-

πᾶσαν συλλαβὴν περισπωμένως προφέρονται. δεῖ δὲ ὀξυτονεῖν τὴν λέξιν, ἐπειδὴ τὰ εἰς ος λήγοντα τῶν ὀνομάτων ὁμότονά ἐστι, κᾂν μεταληφθῇ εἰς τὸ ω παρ' Ἀττικοῖς, ναός, κάλος, νεώς, κάλως. οὕτως δ' ἐχρήσατο τῷ ὀνόματι καὶ Ἐπίχαρμος, καὶ Ἡρόδοτος, καὶ ὁ τοὺς Εἵλωτας ποιήσας. εἶτα ἐστι τὸ μὲν Ἰακὸν λαγός,

λαγὸν ταράξας πῖθι τὸν θαλάσσιον,

(v. Athen. p. 446. D.) τὸ δὲ λαγὼς Ἀττικόν. λέγουσι δὲ καὶ Ἀττικοὶ λαγός, ὡς Σοφοκλῆς,

γέρανοι, κορῶναι, γλαῦκες, ἴκτινοι, λαγοί.

τὸ μέντοι πτῶκα λαγωόν, εἰ μέν ἐστιν Ἰωνικόν, πλεονάζει τὸ ω, εἰ δ' Ἀττικόν, τὸ ο. Summam horum ex Athenaeo Euſtathius refert p. 1534, 14. Sed, ut hoc obiter addam, in Sophoclis verſu Athenaei lectionem, quam Brunkius in lexico Sophocleo v. λαγὸς e lectione Lexici MS. bibl. Reg. corrigendam putat, firmat grammaticus MS. Auguſt. his verbis: τὸ μὲν λαγὸς κοινὸν ὂν εὕρηται παρὰ Σοφοκλεῖ, γλαῦκες, ἰκτῖνοι, καὶ λαγοί. ὥσπερ δὲ ναὸν καὶ λαὸν λεγόντων τῶν κοινῶν οἱ Ἀττικοὶ νεὼν καὶ λεὼν φασίν, οὕτω καὶ τὸν λαγὸν λαγὼν φασί. καὶ Εὔπολις, βατίδες καὶ λαγῴ καὶ γυναῖκες εἰλίποδες. τὸ δὲ λαγωὸς Ἰωνικόν ἐστιν. Eupolidis verſus ex Athenaei lib. VII. p. 286. ſic reſtituendi videntur,

πολλὴ θυμήδει', ἵνα
πάρα μὲν κάραβοι, πάρα καὶ βατίδες [εἰσί,]
καὶ λαγῴ,
καὶ γυναῖκες εἰλίποδες.

Nam quae praecedunt ibi apud Athenaeum, παρὰ τῷδε Καλλίᾳ, Athenaei, non Eupolidis verba ſunt, ſic ſcribenda, παρὰ τῷ Καλλίᾳ. Sed red-

eo, unde digressus sum. Succedat Athenaeo Theodorus Gaza lib. III. p. 144. *μακρᾶς γὰρ οὔσης ἐπὶ τέλους οὐ δύναται προπαροξυνθῆναι λέξις κοινή.* Κοινὴ dicit propter Atticorum contrariam consuetudinem. Idem p. 148. *τῶν δὲ τεταρτοκλίτων Ἀττικῶν ὑπερδισυλλάβων προπαροξυτόνως ἀεὶ ἡ εὐθεῖα, καίτοι μακροκατάληκτος οὖσα. Ἀττικῶν δὲ τὸ τοιοῦτο, Μενέλεως, εὔγεων.* Etymologicum M. p. 220, 19. *γαλόῳ. οἱ μὲν λέγουσιν, ὅτι ἔστι γάλως· εἶτα διαλύσει τοῦ ω γάλοως, ὡς τὸ ἐξ Ἀθόω δ' ἐπὶ πόντον ἔβη. ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ περὶ παθῶν λέγει, ὅτι ἔστιν εὐθεῖα ἡ γάλως. ἔστι δὲ ἡ ἀνδρὸς ἀδελφή. κλίνεται τῆς γάλω. ὁ κανών· τὰ δὲ βαρύτονα κατὰ ἀποβολὴν τοῦ σ κλίνονται, τῆς Κέω. ἡ δοτικὴ τῇ γάλῳ, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ο γαλόῳ. διὰ τοῦτο προβιβάζει τὸν τόνον, ἐπειδὴ οὐδέποτε ἐπὶ τέλους κειμένου τοῦ ω τρίτη ἀπὸ τέλους τίθεται ἡ ὀξεῖα, χωρὶς τῶν Ἀττικῶν. κλίνεται δὲ καὶ γάλως γάλωτος, ὡς γέλως γέλωτος.* Locum hunc, qui in edito Etymologico non ab omni parte sanus est, ita exhibet MS. August. *οἱ μὲν λέγουσιν, ὅτι γάλως ἐστί, καὶ διαλύσει τοῦ ω γάλοως, ὡς τὸ ἐξ Ἀθόω δ' ἐπὶ πόντον. ὁ δὲ Ἡρωδιανός· ἡ εὐθεῖα ἡ γάλως. ἔστι δὲ ἡ ἀνδρὸς ἀδελφή. καὶ κλίνεται τῆς γάλω. τὰ γὰρ εἰς ως θηλυκὰ βαρύτονα κατὰ ἀποβολὴν τοῦ σ κλίνεται, τῆς Κέω. ἡ δοτικὴ γάλῳ· καὶ πλεονασμῷ τοῦ ο γαλόῳ. κλίνεται δὲ καὶ γάλω, γάλωτος, ὡς γέλωτος.* Canonem hunc, quo *γαλόῳ* barytonum est, e Tryphone memorant Eustathius p. 391. extrema, et scholia Veneta ad Iliad III. 122. quae videnda etiam ad XXII. 473. Porro Etymologus M. sic scribit p. 635, 32. *ὀρφῶς. περὶ δὲ τοῦ ὀρφῶς ἔστιν εἰπεῖν, ὡς λέγει ὁ αὐτὸς Χοιροβοσκός, ὅτι τὰ εἰς ως Ἀττικὰ τῆς κοινῆς εὐθείας ἔχουσι τὸν τόνον· κἂν φθάσῃ προπαροξυνθῆναι ἡ εὐθεῖα, πᾶσα πτῶσις προπα-*

ροξύνεται. σεσημείωται τὸ ὀρφῶς καὶ τὸ λαγῶς. ταῦτα γὰρ ȣκ ἐφύλαξε τὸν τόνον τῶν κοινῶν. τȣ͂ μὲν γὰρ ὀρφῶς ὁ τόνος ὄρφος ἐστὶ, βαρύτονος, τȣ͂ δὲ λαγῶς λαγὸς ὀξύτονος, ὡς Ἡρωδιανὸς φησιν, ὅτι ἐν τοῖς εἰς ως ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν ȣδὲν περισπᾶται, πλὴν τȣ͂ ὀρφῶς καὶ λαγῶς. Eamdem rem tangit Euſtathius ad XII. Odyſſ. p. 1720, 47. Porro Etymologicum M. p. 116, 7. τοῦ ἀξιόχρεως καὶ ἀνάπλεως καὶ ἀγήρως τὰ ȣδέτερα διὰ τοῦ ω μεγάλȣ γράφεται. δεῖ γινώσκειν, ὅτι πᾶν ȣδέτερον εἰς ν λῆγον ἀπαθὲς βραχυκαταληκτεῖν θέλει, ξύλον, πτερόν, λȣτρόν· χωρὶς τȣ͂ πᾶν καὶ τῶν παρὰ τὸ πȣ͂ς, οἷον δίπȣς, τρίπȣς. πρόσκειται ἀπαθὲς διὰ τὸ ποιοῦν, καὶ χρυσȣ͂ν, καὶ ὀςοῦν, καὶ χαλκȣ͂ν. ταῦτα γὰρ ἀπὸ κράσεως γέγονε. καὶ τὸ διπλȣ͂ν ἀπὸ τȣ͂ διπλόον, καὶ τὸ εὐγήρων ἀπὸ τȣ͂ εὐγήραον· τὸ καρχαρόδουν καὶ τιμῆεν ἀπὸ τȣ͂ καρχαρόδον καὶ τιμῆεν γέγονε, τὸ μὲν πλεονασμῷ τȣ͂ ι, τὸ δὲ τȣ͂ ο. τὸ ἀνάπλεων καὶ ἀξιόχρεων τῇ Ἀττικῇ ἐκτάσει ἔπαθον, ἀπὸ τȣ͂ ἀξιόχρεον καὶ ἀνάπλεον τῶν διὰ τȣ͂ ο. οὕτως ὁ Χοιροβοσκὸς εἰς τὸν τέταρτον κανόνα τῶν ȣδετέρων. Haec quoque lubet adſcribere, ut in Etymologico MS. leguntur: δεῖ γινώσκειν, ὅτι πᾶν ȣδέτερον εἰς ν ἀπαθὲς βραχυκαταληκτεῖ, ξύλον, πτερόν. πλὴν τȣ͂ πᾶν καὶ τῶν παρὰ τὸ πȣ͂ς. δίπȣν. ἀπαθῆ εἶπε διὰ τὸ ποιȣ͂ν, ὀστȣ͂ν. ταῦτα γὰρ ἀπὸ συναιρέσεως. ὁμοίως καὶ τὸ διπλȣ͂ν· διπλόον γάρ. εὐγήρων, εὐγήραον. τὸ καρχαρόδȣν καὶ τὸ τιμῆεν ἀπὸ τȣ͂ καρχαρόδον, τιμῆεν γέγονε, πλεονασμῷ ἐν τῷ πρώτῳ τȣ͂ ι, ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τȣ͂ υ. τὸ ἀξιόχρεων καὶ ἀνάπλεων Ἀττικὴν ἔκτασιν ἔπαθον. ȣ͂τως ὁ Χοιροβοσκός. Etymologicum M. p. 347. 11. πλανώμενοί τινες ἀναγινώσκȣσιν ἐξ Ἄθοω. ȣ γὰρ δύναται τρίτη ἀπὸ τȣ͂ ω πίπτειν ἡ ὀξεῖα. ȣ γὰρ ἔχει πρὸ τȣ͂ ω τὸ ε, ὡς τὸ πόλεων. ἀμφίβολον. εἰ γὰρ παρὰ τὸ Ἄθως Ἄθω,

ἐστι πλεονασμῷ τῦ ο· εἰ δὲ εἴρηται Ἀθόος (fcribendum Ἄθοος) Ἀθόυ, Ἀθόῳ, ἐκ ἔτι πλεονάζει. Ἡρωδιανὸς περὶ παθῶν. Euftathius ad Iliad. XIV. p. 980, 49. Ἄθοω προπαροξύνουσιν οἱ παλαιοί, τὸν φυσικὸν τόνον φυλάσσοντες. γέγονε γὰρ ἐκ τῦ Ἄθω, πλεονάσαντος τῦ ἐν τῇ παραληγύσῃ ο μικρῦ, ὡς ἐν τῷ φῶς, φόως, καὶ Κῶς, ἡ νῆσος, Κόως, οἷον Κόων εὐναιομένην. καὶ ἔστι πῶς Ἀττικὴ καὶ ἡ τῦ Ἄθοω προπαροξυτόνησις. Ἀθηναῖοι γὰρ ἐν πολλοῖς ἐκνῦσι μετατιθέναι ὑπερβιβαστικῶς τὰς τῶν εὐθειῶν ὀξείας. ἐν γῦν τῷ πόλεως, ὄφεως, σινήπεως ἐκ ἐταπείνωσεν ἡ μακροκαταληξία τῆς γενικῆς τὴν προπαροξυτόνησιν. Scholiaftes Venetus ad XIV. Iliad. v. 229. de hoc vocabulo: προπαροξύνεται δέ. πλεονασμὸς γάρ ἐστι τῦ ο. His locis adde, quod quum apud Etymologum M. p. 230. 48. καλόγηρως, (ita ex Etymologico MS. et Phavorino pro καλόγηρος legendum) et βαθύγηρως, et ὑπέργηρως, tum apud alios quosvis fcriptores eadem verba eodem modo conftanter fcribi folent.

Grammaticorum de hac re fententias ipfis eorum verbis protuli, quo rectius omnis poffet procedere disceptatio. Etenim regula ifta, quae nomina proparoxytona communi lingua in ος et ον exeuntia, etiam quum Atticam productionem ultimae fyllabae paffa funt, in tertia a fine fyllaba accentu notari iubet, ab iisne ducta nominibus cenfebitur, quae proximam ultimae fyllabam brevem, an ab iis, quae eamdem fyllabam longam habent? Ab illis ductam crediderim, in quibus proxima ultimae fyllaba brevis eft. Horum enim ingens exftat multitudo: illorum autem, quae alteram a fine fyllabam productam habent, tanta paucitas eft, ut magis excipienda ac fegreganda ab ifta lege, quam ad eam accommodanda videantur.

At, inquiat fortasse aliquis, communes accentuum regulae, sive corripiatur syllaba, quae ante ultimam est, sive producatur, tertiam a fine acui vetant ultima producta: quare si semel ab his legibus discedere placuit Atticis, quid est, quare eos αἰγόκερως dixisse, ac non etiam καλόγηρως, censeamus? At id ipsum nego, discessisse omnino Atticos a communi accentuum usu. Primum enim quis omnino pronunciare potest ista eo quidem, quo notantur, accentu, καλόγηρως, βαθύγηρως, ὑπέργηρως? Nemo profecto ita dicamne culto an rudi ore reperietur, qui servato duarum, quae ultimae sunt, syllabarum pondere tertiam a fine acuere sciat. Hac enim acuta fieri non potest, quin vox aut alterutram ultimarum corripiat, aut extremam quasi prorsus a praecedentibus disiunctam seorsim pronunciet. Atqui nec correptioni locus est, neque discerpere vocabula dici pronunciare potest. Quare equidem non dubito, quin ista Attici traducto in alteram ab ultima syllabam accentu pronunciaverint καλογήρως, βαθυγήρως, ὑπεργήρως. Μεσόγαιων autem, quod Suidas in hac dictione et in ἀνώγεον habet, scribendum est μεσόγαιον, ut Kusterus in ἀνώγεον edidit. In edd. Basileensi et Mediolanensi utrobique scriptum est μεσόγαιων. Deinde vero illa, εὔγεων, εὔκερως, et reliqua horum multitudo specie tantum, non re, communibus accentuum regulis repugnant. Nam propter hanc ipsam caussam, quia proxima ultimae syllaba corripitur, accentum in tertia a fine reliquerunt Attici. Videntur enim hanc syllabam, quae ante ultimam est, tanta celeritate in his vocabulis pronunciasse, ea ut propemodum obscuraretur ac vix integrae syllabae vicem sustineret. Hinc nihil mirum, si tertiam a fine syllabam accentu notarunt, quam extrita paene ea, quae ante ulti-

mam eſt, ſecundam liceret numerare. Id ut a poetis ſaepe fit in vocali vocalem praecedente, ut in his, Μενέλεως, Ἀμφιάρεως, ita idem factum reperitur in vocalibus, quae ſunt ante conſonantes, ut ἄγλακτος, ὄρμενος, σκινδαλμός, aliisque innumeris. Quae ſi vera ſunt, ſponte conſequetur, haec, εὔκερως, εὔγεων, et reliqua, accentuum regulis non eſſe contraria, illa autem, καλλέγηρως, βαθύγηρως, ὑπέργηρως. pravo accentu ſcribi. Nimirum grammatici, qui regulam iſtam de proparoxytonis Atticis in ως et ων exeuntibus immenſa copia exemplorum ſecundam a fine ſyllabam brevem habentium confirmari viderent, haec quoque perpauca, in quibus ea ſyllaba longa eſt, eadem regula complexi ſunt. Quamquam haud ſcio an non omnes hunc errorem erraverint. Certe aliquam dubitationem faciunt, quae ſupra ex Etymologico M. p. 347. attuli: πλανώμενοί τινες ἀναγινώσκουσιν ἐξ Ἄθοω. οὐ γὰρ δύναται τρίτη ἀπὸ τοῦ ω πίπτειν ἡ ὀξεῖα. οὐ γὰρ ἔχει πρὸ τοῦ ω τὸ ε, ὡς τὸ πόλεων. Quae ſive Herodiani, ut ea, quae ſequuntur, ſive alius grammatici obſervatio eſt, omnium certe, quas de hac re protuli, adnotationum optima eſt. Indicat enim grammaticus, hanc eſſe iſtorum proparoxytonorum legem, ut ſyllaba quae ante ultimam eſt, habeat vocalem ε. Quod ille ſi ſic voluit intelligi, ut etiam illud ε, quod ante conſonantem eſſet, comprehendere putaretur, veriſſima eius ſententia eſt. Nam idcirco Attici hanc maxime vocalem reliquis in hac re praetulerunt, quod ea et celerrime omnium pronunciari, et ad incredibilem tenuitatem obſcurari poteſt.

CAP. VII.

De mutis.

Sed ut clarius explicem de mutis syllabis, quatuor omnino vocales sunt, in quibus mutae syllabae occurrant, ε, ι, ο, υ. E quibus ε in Atticis quidem nominibus etiam ante consonantem collocata mutam syllabam facit, ut supra ostendimus, veluti εὔκερως. Sed communi lingua haec vocalis nonnisi ante vocalem muta est: id quod etiam in vocali ο fieri videmus. De reliquis duabus ι nunc praecedit eam vocalem, cum qua in unam syllabam coniungitur, nunc sequitur; υ denique semper sequitur.

Atque ε quidem ubi tam correpte pronunciatur, ut mutam syllabam constituat, nunc ante longam vocalem est, ut in his, πόλεως, χρεώ, χρεών, ἕα, ἐᾶτε, Πηλέα, ut in Ranis Aristophanis v. 863. Πηληϊάδεω,

χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ,
Θέτις δ' ὀ λήθετ' ἐφετμέων,

nunc ante brevem vocalem, ut in his,

χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη,
χρύσεον σκῆπτρον ἔχων,
νείκεα καὶ δῆριν ὀφέλλοις.

Attici poetae hoc in solo nomine θεός, et in nominibus propriis faciunt, ut in Νεοπτόλεμος apud Sophoclem in Philoct. v. 241. et apud Euripidem in Androm. v. 14. et in Troad. v. 1126. Illud in hac re observandum, ε mutum ante brevem syllabam efficere, ut ea syllaba producatur.

Praeterea autem memorabile est, ε mutum cum sequente vocali non aliter a poetis corripi, nisi si aut consonans, aut longa vocalis vel diphthongus praecedat. Etenim si brevis vocalis praecederet, ut in Ἀσίεω, Βορέεω, haesitatura esset vox in pronunciatione, dum vocalem istam corripere, et tamen ε quoque, sed multo brevius, pronunciare deberet. Itaque in hoc casu Graeci ε prorsus neglexerunt, ut in his,

ἐϋμμελίω Πριάμοιο,

Ἀσίω ἐν λειμῶνι,

Iliad. II. 461. ubi vid. schol. Ven. Id igitur male Gregorius Corinthius p. 177. scripsit Ἀσίεω. Iliad. XIV. 395. XXIII. 692. Odyss. XIV. 533. Βορέω. Vide Etym. M. p. 154, 43. In Homero quidem Ἀσίω, si quidem hic genitivus, non dativus est, hoc verior scriptura videtur, quia hic, si bene memini, nusquam genitivum, qui ε mutum habet, corripit, ut in iisdem litteris factum in hoc exemplo,

χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ.

Cap. VIII.

De muta ι.

Littera ι ante aliam vocalem, sed post consonantem, rarissime, nec nisi metri necessitate cogente mutum est, ut apud Dionysium Periegetam v. 38.

ἄγχι δ' Ἐρυθραῖόν τε καὶ Αἰθιόπιον καλέουσιν.

Atque haec quidem littera quum propemodum consonantis vice fungatur, facile patitur, ut se-

quens vocalis corripi queat. Alia exempla, quae Brunkius ad Aeschyli Persas v. 35. protulit, nihil minus, quam litteram, mutam habent. Primum in ipso Aeschyli versu,

Πηγασταγὼν Αἰγυπτιογενής,

mirum est male formatum vocabulum Brunkio placere potuisse, praesertim quum veteres libri exhibeant Αἰγυπτογενής, quod vel sine libris reponendum erat. Deinde ex Euripidis Phoenissis v. 684. affert:

αἵματος δ' ἔδευσε γαῖαν,
ἅ νιν εὐηλίοισι
δεῖξεν αἰθέρος πνοαῖς,

in quo loco εὐηλίοισι quadrisyllabum putat, quia strophica haec sint:

Βάκχιον χόρευμα παρθέ-
νοισι Θηβαίαισι,
καὶ γυναιξὶν εὐίοις.

Nimis profecto imperitus fuisset Euripides, si tantam asperitatem evitare nescisset. Scribendum:

αἵματος δ' ἔδευσε γαῖαν, ἅ νιν εὐεί-
λοισι δεῖξεν αἰθέρος πνοαῖς.

Etymologicum M. p. 390, 31. εὔειλος, ὁ εὐάερος τόπος, παρὰ τὸ εἵλη, ὃ σημαίνει τὴν θερμασίαν. Lexicon MS. August. εὔειλος, ὁ θερμὸς τόπος. Rem conficit Hesychius: εὔελος, εὐήλιος. Vide ibi interpretes. Iam praeclare respondent strophica:

Βάκχιον χόρευμα παρθένοισι Θηβαί-
αισι καὶ γυναιξὶν εὐίοις.

Denique quem affert Hippolyti v. 129.

εὐαλίου κατέβαλ' ἔνθεν ἁμῖν,

in eo non minus fallitur. Nam quod in antistrophico,

κρυπτῷ τε πένθει θανάτου θέλουσαν,

τὲ dicit et metrum iugulare, et phrasi nocere, suspenso et imperfecto relicto ultimo membro, id utrumque falsissimum esse, nemo non videbit, qui vel metrum dochmiacum cognitum habeat, vel meminerit *κλύειν* pariter cum participio atque cum infinitivo coniungi posse. Verba enim haec sunt:

τριτάταν δὲ νιν κλύω
τάνδε κατ' ἀμβροσίου
στόματος ἀμέραν
Δάματρος ἀκτᾶς δέμας ἁγνὸν ἴσχειν,
κρυπτῷ τε πένθει θανάτου θέλουσαν
κέλσαι ποτὶ τέρμα δύστανον.

Quare tantum abest ut *εὐαλίου* trisyllabum sit metri caussa, ut ob eamdem caussam necessario debeat quadrisyllabum esse. Sed versus iste, ut a Brunkio editus est, numeros minime habet elegantes; nec meliores in vulgata lectione:

εὐαλίου κατέβαλεν, ὅθεν μοι.

Versus foede corruptus est, verbi, nisi fallor, omissione, quae caussa fuit, ut *κατέβαλεν* scriberetur, quod participium esse debebat. In tanta lectionis perturbatione venia erit audaciori coniecturae, quae quidem Brunkiana mutatione et probabilior et ad metrum aptior, tum denique etiam ad sensum loci accommodatior sit. Igitur sic videtur scripsisse Euripides:

ὅθι μοί τις ἦν φίλα,
πορφύρεα φάρεα
ποταμίᾳ δρόσῳ
τέγγουσα, θερμᾶς δ' ἐπὶ νῶτα πέτρας

εὐάλι' αὔδασε βαλῶσ'· ὅθεν μοὶ
πρῶτα φάτις ἦλθε.

Multo frequentius littera ι muta eſt poſt aliam, eamque longam vocalem. Atque hoc quidem ipſa ſcriptura exprimitur, quandoquidem ſubſcribitur ι. Sed de hac re magna eſt virorum doctorum diſſenſio. Alii enim etiam ibi ι ſubſcribunt, ubi eius litterae acceſſio analogiae repugnat, ut in κᾀν, κᾀτι, κᾀπὶ et ſimilibus, in quibus omittendum eſſe ι vir doctus, cuius quaedam obſervationes Vigeri libro de idiotismis Graecae linguae inſertae ſunt, hoc argumento docuit, quod ι in diphthongis ſemper ultimum locum teneat. Itaque recte ſcribi κᾆτα, quippe contracta diphthongo ex αει; male autem κᾀν et ſimilia, quia in his contrahantur αιε. Poterat addere, qui κᾀν ſcriberent, ſcribere debere etiam χὐιπό, χὐιπερόπλια, et quae his ſimilia ſunt. Neque rectius foret χᾗδε, χᾧδε. Alii autem, ut Pierſonus ad Moerin aliquot locis, et Brunkius ad Aeſchyli Prometheum v. 12. libenter σφῷν, πρῷ et ſimilia ſcriberent. His equidem nullo pacto aſſentior. Non ſane reiicio, quam iſti aſſerunt, monumentorum veterum auctoritatem. Quin confirmat eam Gregorii Corinthii teſtimonium, qui p. 41. et ſeq. nunc adſcribi iſtam litteram, nunc non adſcribi obſervat. Sed ea, qua nunc utimur in Graeco ſermone, ſcripturae ratio tantum abeſt ut monumentorum fide labefactetur, ea ut magis corroborari videatur. Ponam primum hoc, quod facile quemque mihi daturum ſpero, grammaticorum in hoc genere haud levem auctoritatem eſſe. Hi enim primi ſermonem Graecum ad diſciplinae quamdam rationem revocarunt, et quae vocum pronunciationis diſcrimina in quaque dialecto reperiſſent, litterarum apto uſu, id-

que non ſine veterum librorum exemplo, exprimere docuerunt. Hi igitur conſenſu tradunt, in quibusdam vocabulis ι ſubſcriptum omitti, ut in Atticis κάω, κλάω, ἀετός, quod etiam in Ἀχαϊκὸς ab Atticis factum eſſe veri ſimillimum videtur; in aliis autem vocabulis eam litteram adſcribi, ut in κῶνος Etymologus M. p. 551, 26. in Κῶος idem ibidem l. 29. in νῷν, σφῷν idem p. 610, 3. in λώων et λῷστος idem p. 676, 13. in χῷ idem p. 816, 33. ex Oro; in φῳς et δᾳς idem p. 803, 37. in πεφωσμένος, φώζω, χρώζω idem p. 667, 25. vide p. 803, 47. in κλῄζω et χρῄζω, i. e. δέομαι, idem p. 485, 46. in κλῇθρα idem p. 518, 12. in λῃστής idem p. 563, 23. in χρῄζω, τὸ δέομαι, idem p. 815, 4. non item in χρήζω, τὸ χρησμῳδῶ, quamquam, ut ipſe fatetur, analogia litteram ι requirente; in Νηρῇδες et ſimilibus idem p. 604, 54. et Euſtathius p. 840. l. 33. in Μῃονὶς Euſtathius p. 365, 27. quod nomen idem eodem in loco apud Boeotos carere littera ι dicit. Technologiae MS. τὸ ῥῷος προσγεγραμμένον ἔχει τὸ ι καθ' ὁμοιότητα τοῦ πατρῷος, ὅπερ οἱ ποιηταὶ πατρώϊος φασι· μητρῷος, μητρώϊος, λῷος, λώϊος, ἑῷος, ἑώϊος, παππῷος, παππώϊος. οὕτω καὶ σῷος· ἐκ τούτου καὶ σῴζω, ὃ δὴ καὶ προσγράφεται, τὴν τοῦ ὀνόματος προσγεγραμμένην τηρῶν. Vide Euſtathium p. 1409, 47. Scholiaſtes Venetus ad Iliad. XII. 473. μετὰ τοῦ ι γραπτέον γαλόῳ· ἔστι γὰρ πληθυντικὴ εὐθεῖα Ἀττική, ὡς τὸ οἱ Μενέλεῳ. Euſtathius p. 173. extrema: σημείωσαι δὲ ὡς τὸ μὲν ᾗ ἀντὶ τοῦ ὅπου σὺν τῷ ι γράφουσιν οἱ τεχνικοί, καθὰ καὶ τὸ πῇ καὶ ὅπῃ καὶ ἄλλῃ, ὅ ἐστιν ἀλλαχοῦ. τὸ δὲ ἡ θέμις ἐστὶ δίχα προσγραφῆς τοῦ ι τιθέασι, καθὰ καὶ τὸ ἠ νέος ἐκ ἀπάλαμνος, ἤγουν ὡς νέος οὐκ ἄναλκις, καὶ τὸ μή, οἷον μὴ τύψῃς, καὶ τὸ νή, οἷον νὴ τὴν Ἀθηνᾶν, καὶ τὸ ἢ σχετλιαστικόν, καὶ θαυμαστικόν, καὶ τὸ ὠὴ ἀνακλητικόν, οἷον,

ωή, τίς ἐν πύλαισι δωμάτων κυρεῖ.

ἔτι δὲ καὶ τὸ ἤδη χρονικὸν, καὶ νῦνδη ἀντὶ τοῦ ἀρτίως, ἐν ἑνὶ τόνῳ, ὃ καὶ φασι μόνῳ παρῳχημένῳ συντάσσεσθαι.

His addi possunt quaedam rariora, ut Λᾶον, Laium, patrem Oedipi, dixit Pindarus Olymp. II. 70. (vide scholion metricum MS. Ciz. in commentatione mea de metris Pindari p. 207.) et πάτρω Pyth. VI. 46. μάτρω Nem. IV. 130. Suidas in v. ἥρωι· δισυλλάβως δὲ κέχρηται Ὅμηρος ἥρῳ, ἅπαξ ἐν Ἰλιάδι καὶ ἅπαξ ἐν Ὀδυσσείᾳ. Iliadis versus est in VII. 453.

ἥρῳ Λαομέδοντι πολίσσαμεν ἀθλήσαντε.

Odysseae versus, est in VIII. 483.

ἥρῳ Δημοδόκῳ· ὁ δ' ἐδέξατο, χαῖρε δὲ θυμῷ.

Itaque in Suida ἥρῳ scribendum, non solum analogia postulante, sed Etymologi quoque auctoritate, qui haec habet p. 437, 54. ἥρῳ Δημοδόκῳ δοτική ἐστιν· ἀντὶ τοῦ ἥρωϊ κλίσις, καὶ οὐκ ἀποκοπή. Apocopen statuebat Moeris p. 176. ἥρω, χωρὶς τοῦ ι, Ἀττικῶς· ὡς Ὅμηρος, ἥρῳ Δημοδόκῳ. ἥρωϊ δὲ μετὰ τοῦ ι, Ἑλληνικῶς. Probavit hoc, ut solet, Piersonus. Vide Oudendorp. ad Thom. M. p. 425. Caeterum Suidae adnotationem ex vetere quodam critico petitam esse quum res ipsa, tum scholiastes Venetus ad Iliadis versum arguit. Nec temere ad hanc rem animum advertere grammatici. Quippe uterque locus in iis est, qui Wolfii opinionem de carminibus Homericis egregie confirmant. Non enim ista contractio antiquissimae illius aetatis est, cui maxima pars Iliadis assignari debet. Ac septimus quidem atque octavus Iliadis liber plurimas ob caussas recentiori nec sane summo poetae tribuendi videntur. Odysseam,

atque ipsum quidem octavum librum etiam μορφὴ v. 170. quod in XI. quoque v. 366. est, recentiorem esse arguit. Id vocabulum nusquam in Iliade occurrit; composita autem ex eo in neutro carmine. Quo minus probo Ruhnkenii coniecturam πολύμορφοι in hymno Cereris v. 23. Iste locus, nisi fallor, ita scribendus est:

> ὀὐδέ τις ἀθανάτων, οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων
> ἤκουσεν φωνῆς, τῶν τ' ἀγλαόκαρποι ἀλωαί.

Nec deum quisquam, inquit, neque accolarum audivit vocem Proserpinae. Sed redeo, unde discessi. Aliud rarius mutae ι exemplum est ἡρῶσσα, de quo dixit Valkenarius ad fragm. Callimachi p. 287. seq. Simile habetur ἡρῶναι, quocum Suidas et scholiastes Aristophanis ad Nubes v. 314. comparant ἤθεος. Verum equidem vehementer vereor, ne hoc vocabulum eximendum sit ex eorum numero, quae ι subscriptum habent. Etenim ι subscriptum semper natura breve est, idque necessario, quia longa vocalis quo pacto possit tantopere debilitari, ut vix audiatur, non sane licet intelligere. Atqui in ἡρωίνη, unde ἡρώνη factum putant, ι longa est. Dionysius Periegetes v. 1022.

> Αἰήταο θυγατρός, ἀμύμονος ἡρωίνης.

Sic Εὐηνίνη, Ὠκεανίνη, et alia, et Catulli *Neptunine*. Quamobrem equidem ἡρώνη, detracta ista vocali, scribendum arbitror, idque nomen adnumerandum esse formis femininis in ώνη, ut Ἀμυμώνη, Ἠλεκτρυώνη. Errare enim Etymologum, qui p. 87, 35. Ἀμυμώνη ex genitivo Ἀμύμονος derivet, alia nomina ostendunt, ut εἰρεσιώνη, Ἀτρυτώνη, Ἀκρισιώνη, Ἰκαριώνη, Τυνδαρεώνη, quo utitur Christodorus in Anthologia carm. I. v. 167. Quae quum sint diversissimae originis, dubitari non potest, quin haec sit peculiaris quaedam atque

arbitraria forma. Ex ἥρως igitur tria habebimus feminina, ἡρωΐς, ἡρωΐνη, ἡρώνη.

Ex iis, quae hactenus de ι subscripto commemoravi, hanc mihi merito videor rationem posse concludere, alium addita ista littera, alium detracta fuisse sonum. Primum enim omnia vocabula, quae ι subscriptum habent, initio syllaba auctiora fuerunt, ut λωίων, πατρώϊος, Νηρηΐδες: quae quis non videt si correptius pronunciato ι propemodum integra syllaba priventur, clare tamen adhuc aures istius litterae sonum percipere? Deinde quid est, quod grammatici in χρήζω, τὸ δέομαι, et in Homerico

Μηονὶς ἠὲ Κάειρα,

adesse ι, in χρήζω, τὸ χρησμῳδῶ et in Boeotico Μηονὶς atque aliis vocabulis in eiusdem gentis lingua abesse dicunt, nisi si ea re pronunciationis diversitatem indicare voluerunt? Denique quis credat Pindari Λᾷον de Laio, Thebarum rege, intelligi a quoquam potuisse, nisi litterae ι sua vis et potestas mansisset? Quare equidem non dubito, quin in istis omnibus vocabulis audiri debeat ι: quod quidem sine ulla vocis molestia fieri potest, maxime ubi vocalis sequitur. Ibi enim ι propemodum consonae vicem praestitisse videtur, ut Λᾷος, λῴων sonuerint *Lajos*, *lojon*. Eodem modo pronunciari debet Θυιάς, quippe υ longum habens. Vide quae de hoc vocabulo commemoravit Bentleius ad Horat. carm. II. 19, 9. Inde observat Etymologus M. p. 72, 24. et 775, 23. diphthongum υι non nisi ante vocalem adhiberi, ob eamque rem verba ἀλυίω et ὀπυίω quibusdam temporibus destitui. Hinc etiam scripturae ratio, quae in monumentis antiquis usitata est, explicari poterit. Etenim quum ι subscriptum non esset in-

regnae fyllabae loco, confentaneum videbatur eam litteram prorfus omittere, quamquam, qui iftas infcriptiones legerent, voce eam effent expreffuri. Sic pronunciationis in ifta littera tenuitas fcripturae inconftantiam peperit. Quin ea ipfa vocabula, quae littera ι carent, quamquam analogia eam addi poftulante, ut κάω, κλάω, ἀετός, Ἀχαϊκός, χρήζω, (τὸ χρησμῳδῶ) et Boeoticum Μηονίς, non dubito, quin initio pronunciata fuerint κάω, κλάω, ἀετός, Ἀχαικός, χρήζω, Μηονίς: fed confuetudo tenuia illa litterae ι veftigia paullatim penitus expulit, ut poftremo prorfus fine hac littera pronunciarentur. Ideoque omiffio litterae ι a grammaticis adnotata in his quidem verbis legitima eft.

CAP. IX.

De muta ο.

Supra inter mutas litteras etiam ο retuli. Sed eam litteram equidem in uno tantum nomine Οἰλεύς, et quae ex eo derivantur, mutam inveni. Duplex olim huius nominis fcriptura exftitit Οἰλεύς, et Ἰλεύς. Vide interpretes ad Hefychium in v. Ἰλιάδης, et Ruhnkenium in Epift. crit. I. p. 108. qui omifit locum Euftathii p. 218, 20. quem autem profert locum ex Etymol. M. p. 346, 41. is emendari debet ex Euftathio p. 101, 19. Auctor fcripturae Ἰλεὺς a grammaticis citatur Hefiodus, cui Euftathius ad Iliad. II. p. 277, 1. et ad XV. p. 1018, 58. addit Stefichorum. Hos in priore loco dicit utraque fcriptura ufos; Ἰλεὺς autem etiam apud multos recentiorum occurrere. Hefiodi locum in

lucem produxit Ruhnkenius. Inter recentiores illos, quos commemorat Eustathius, Lycophron est v. 1150.

καὶ πᾶς Ὀδοιδόκειος Ἰλέως δόμος.

Sic MS. Viteb. in cuius margine hoc scholion est: Ὀδοιδόκειος, πατὴρ Ἰλέως πάππος Αἴαντος. Scribendum Ὀδοιδόκος. Vide Eustathium ad Iliad. II. p. 277, 17. Homerus ubique Ὀϊλεὺς et Ὀϊλιάδης habet, quamquam in eo Zenodotus alteram scripturam reponi volebat. Vide Wolfii prolegomena p. CCVII. et schol. Ven. ad Catalog. v. 34. ad XII. 365. ad XIII. 203. 694. 712. XIV. 442. XV. 333. XXIII. 759. ubi scriptura Zenodoti male notata est. Emendarat ille, ni fallor, ἔνθορεν Ἰλιάδης. Apud Pindarum Olymp. IX. 167. et Ἰλιάδα et Οἰλιάδα libri exhibent. Vtcumque ibi scribatur, quadrisyllabum vocabulum est. In Atticis denique poetis Οἰλεὺς et Οἰλιάδης scribitur, sed eodem numero syllabarum, qui est in Ἰλεὺς et Ἰλιάδης. Vide Eurip. Iphig. in Aul. 193. 263. Rhesum v. 157. Aristotelem in epitaphiis heroum Homericorum, epigr. 3. Quod si in his vera scriptura est Οἰλεὺς et Οἰλιάδης, equidem non dubitaverim, quin prima syllaba aliquanto aliter, quam vulgo diphthongus οι pronunciata fuerit. Etenim in Οἰλεὺς et Οἰλιάδης ι longa est, quae brevis est in caeteris, ut in οἰστός, Οἰκλείδης. Quin omnes diphthongi litteram, quae ultima est, brevem habent, quod perspicue indicant diphthongorum solutiones. Quamobrem Οἰλεὺς et quae hinc ducta vocabula sunt, sic pronunciata fuisse probabile est, ut maxime ι audiretur, ο autem propemodum delitesceret. Sed erunt fortasse, qui aut hoc ita esse negent propter similia οἴω, οἴομαι, οἶμαι, aut haec ipsa verba eodem modo proferenda existiment. Nam οἴω et οἴομαι ι longum habent. Verum praeterquam quod frequens

uſus huius verbi in communi ſermone, paullatim puram diphthongum introducere potuit, duae etiam aliae cauſſae accedunt, quae ι in οἴω, οἴομαι, οἶμαι, correptum cenſere ſuadeant. Primum enim quo facilius corripiatur, ſequens vocalis efficit: unde ὀΐω media brevi ſaepius apud poetas invenitur, ut in Odyſſeae II. 255. XIII. 427. XV. 31. Deinde videndum eſt, ne productio litterae ι in ὀΐω et ὀΐομαι ſoli accentui, ut alia multa apud Homerum, debeatur. Ab Homero enim hoc cum aliis ſimilibus ad recentiores permanavit. Etenim in omnibus Homeri locis, in quibus hoc verbum longam ι habet, aut accentus in ea ſyllaba eſt, ut in ὀΐω, ὀΐομαι, ὀΐεαι, ὀΐεται, aut concurſus multarum brevium ſyllabarum productionem adiuvat, ut in ὀϊόμενος, et reliquis caſibus participii, et in ὀϊόμεθ' in Odyſſ. XXI. 322. XXII. 165. quod ſimile eſt iſti in Odyſſ. X. 106.

θυγατέρ' ἰφθίμῃ Λαιστρυγόνος Ἀντιφάταο,

de quo dixi in lib. I. de metris p. 69. Quando ſemel huius verbi mentio facta eſt, tres alias de eo obſervationes addam.

Οἴω cum diphthongo aliquoties in Iliade eſt, nusquam in Odyſſea: paſſiva autem forma in neutro carmine diphthongum habet, ſi quatuor locos exceperis, qui propter hanc ipſam rem corrigendi videntur. Horum duo punctis tantum diaereſeos indigent: Odyſſ. XVII. 580.

μυθεῖται κατὰ μοῖραν, ἅπερ κ' οἴοιτο καὶ ἄλλος.

et XXII. 12.

μέμβλετο, τίς κ' οἴοιτο μετ' ἀνδράσι δαιτυμόνεσσιν.

Tertius eſt eiusdem libri v. 210.

ὣς ἔφατ', οἰόμενος λαοσσόον ἔμμεν' Ἀθήνην.

Tres codd. Vindob. habent φάτ'. Scribendum:

ὣς φάτ', ὀΐόμενος λαοσσόον ἔμμεν' Ἀθήνην.

Quartus denique eſt in lib. X. v. 193.

εἴ τις ἔτ' ἔσται μῆτις, ἐγὼ δ' οὐκ οἴομαι εἶναι.

Scribendum puto:

εἴ τις ἔτ' ἔσται μῆτις, ἐγὼ δ' οὐκ εἶναι ὀΐω.

Non ſum equidem neſcius longe aliam Homeri emendationis, quam aliorum ſcriptorum, eſſe rationem, quando in Homero magis veterum grammaticorum recenſiones, quam ipſa verba illorum poetarum, quorum Ilias et Odyſſea ſunt, reſtituere licet: ſed eo usque tamen iure ſuo progredi poſſe criticum arbitror, ut diligenti ſermonis Homerici exploratione, quid quoque in loco poetae iſti poſuerint, eruere conetur. Etenim quis dubitet, quin in carminibus illis, quae ore hominum circumferebantur, multa, prout quisque aut memoria aberraverit, aut alium ſequutus ſit morem loquendi, mutata fuerint, atque ad aliam accommodata ſermonis ſpeciem? Quod nullo in genere fieri potuit facilius, quam in permutandis iis formulis, quae quod et verbis et ſenſu ſimillimae ſunt, faciliime fugiunt animadverſionem.

Deinde οἴω quum triſyllabum eſt, οἴομαι autem quum quadriſyllabum eſt, ubique ſcribuntur ſoluta diphthongo ὀΐω et ὀΐομαι. Idque diſertim teſtantur grammatici. Etymologicum M. p. 115, 40. ἀνώϊστον, τὸ ἀπροσδόκητον καὶ ἀνυπονόητον. παρὰ τὸ οἴω, τὸ ὑπονοῶ· ὅπερ ἐν διαιρέσει γίνεται ὀΐω. ἐκ τούτου ὀϊστός, καὶ ἀνώϊστος κατ' ἔκτασιν τοῦ ο

εἰς ω. καὶ πάλιν οἴστί, καὶ ἐκτάσει τοῦ ο εἰς ω ἀνωϊστί, σύνθετον· καί,

ὃ δ' ὅμιλον ἀνωΐστως ἀφίκανεν,

Ἀπολλώνιος. Etymologicum MS. ἀνώϊστον, τὸ ἀπροσδόκητον καὶ ἀνυπονόητον. παρὰ τὸ οἴω τὸ ὑπονοῶ, ἐν διαιρέσει ὀΐω, ὀϊστός· στερητικῶς καὶ κατ' ἔκτασιν τοῦ ο καὶ ἀνωϊστί, καὶ ἀνωΐστως, ἐπίῤῥημα. Lexicon MS. Auguſtanum: ἀνωϊστί, λάθρα, ἀπροσδοκήτως, παρὰ τὸ ἴω, (ſic ſcriptum) τὸ ὑπονοῶ, ὅπερ καὶ ὀΐω γέγονεν, οἰόμενον (ſcribendum ὀϊόμενον) θανέεσθαι, καί, ὀΐσατο θεὸν εἶναι, γίνεται ὀϊστί, καὶ ἐκ τοῦ ο εἰς ω ὠϊστί, καὶ ἐν συνθέσει ἀνωϊστί. Euſtathius p. 54, 32. τὸ δὲ οἴομαι ὅτι ἐκ τοῦ ὀΐομαι διαλέλυται, καὶ ὅτι καὶ ὀΐω λέγεται τὸ αὐτὸ ἐνεργητικῶς, ἐκδηλότατόν ἐστιν. Idem p. 997, 23. ὅρα δὲ καὶ νῦν ὅτι τὸ οἴομαι οὐ μόνον τρισυλλάβως ὀΐω, ἀλλὰ καὶ δισυλλάβως οἴω λέγεται κατ' ἐνέργειαν. Idem p. 1171, 42. ἀλλά τιν' ὀΐω ἢ οἴω δισυλλάβως, ἤγουν νομίζω, ἀσπασίως γόνυ κάμψειν. Sed alia ſcriptura exſtat in grammatico MS. de ſyntaxi: quae ſcriptura ſi vera eſt, difficultas illa prosodiae, de qua ſupra dictum eſt, nulla remanebit. Sic igitur ille: οἴω ποιητικῶς καὶ ὀοίω. οἶμαι τὸ αὐτὸ κοινῶς, καὶ οἴομαι. ᾤμην παρατατικός, καὶ ᾠόμην, καὶ ὠοιόμην ποιητικῶς. ᾠήθην ἀόριστος. Poterit enim ὀοίω illis verbis adnumerari, in quibus ο pleonaſticum acceſſit, ut κέλλω, ὀκέλλω, δύρομαι, ὀδύρομαι. Alia Euſtathius p. 218, 17. aliique grammatici commemorant.

Denique Laconum lingua dicebatur οἰῶ, teſtibus ſcholiaſta Ariſtophanis ad Lyſiſtratam v. 997. et Suida, apud quem in Mediolanenſi quidem editione ſic legitur: οἰῶ ἀντὶ τοῦ οἴομαι. ἀλλ' ἀρχὰ μὲν οἶον λαμπιτὰ ἀντὶ τοῦ ὡς οἴομαι ἀρχὴ τῆς

μάχης ἢ λαμπιτώ. Postea locum correxere, etiam H. Stephanus e veteri codice in Thesauro vol. II. p. 1259. Brunkius horum, ut videtur, auctorum immemor in Aristophanis versu contra omnes libros οἴα pro οἰῶ scripsit, quum verbum dubitandi οἰῶ hic non aptum putaret. Postea vero in addendis ad v. 1256. οἰῶ multo aptius, quam οἴα, adhiberi fassus est. Sed numeri laborantes sic corrigendi videntur:

ἀπὸ Πανός; οὐκ' ἀλλ' ἆρχε μέν, οἰῶ, Λαμπιτώ.

Cap. X.

Do muta υ.

Postremo dicendum est de muta υ. Eam semper post eam vocalem, cum qua in unam syllabam coalescit, poni supra indicatum est. Etenim etsi non sum nescius, quaedam exempla proferri posse, in quibus praecedere videatur, ea tamen exempla non dubito quin corrupta sint. Equidem tria tantum novi; primum Homeri in Odysseae XI. v. 568.

χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νεκύεσσιν.

Sed veram lectionem νέκυσσιν habent tres codd. Vindobonenses et Strabo III. p. 224. Simile foret, quod Clarkius ad Iliad. XVI. 321. apud tragicos exstare dicit νέκυος bisyllabum. Verum id nusquam exstat. Secundus locus Pindari est in Pyth. IV. 400.

καὶ βόας, οἳ φλόγ' ἀπὸ ξανθᾶν γενύων πνέον καιομένοιο πυρός.

Horum versuum secundus a dipodia trochaica debet incipere. In commentatione de metris Pindari sic emendandum dixi:

καὶ βόας, οἳ γενύων ξαν-
θᾶν φλόγα πνεῦν καιομένοιο πυρός.

Nec muto sententiam, nisi quod scribi malim φλόγ' ἔπνευν. Si vera lectio in scholiasta est, οἵτινες ἀνέπνεον τῶν ξανθῶν γενύων καιομένου πυρὸς, videri poterit hic non habuisse praepositionem in Pindaro. Quamquam nescio an scripserit ἀπέπνεον. Tertius denique locus est Sophoclis in Oed. Rege v. 640.

δρᾶσαι δικαιοῖ, δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν.

Brunkius observare iubet raram synaloephen: rectius puto exsulare iussisset. Sic enim scribendum videtur:

ὅμαιμε, δεινά μ' Οἰδίπους ὁ σὸς πόσις
δρᾶσαι δικαιοῖ, δύο γ' ἀποκρίνας κακοῖν,
ἢ γῆς ἀπῶσαι πατρίδος, ἢ κτεῖναι λαβών.

Reliquum igitur est, ut de muto υ post aliam vocalem videamus. Id in diphthongis ηυ et ωυ occurrit, in quibus υ eodem modo mutum est ut ι in ῃ et ῳ. Sed contrario modo in pronuncianda υ muta, quam in ι, vulgo peccatur. Nam ῃ et ῳ pronunciant ut η et ω, ηυ et ωυ autem duabus syllabis ηϋ et ωϋ. Quin θώϋμα scribi solet, tribus syllabis, et accentu male notato. At vero diphthongus est ωυ, et una tantum syllaba pronunciatur. Aristophanes in Acharnensibus v. 790.

ὁμομητρία γάρ ἐστι, κἠκ τωὐτῶ πατρός.

Atque Iones cur θῶυμα dixerint, qui simillimas litteras ηυ in ηὖδα, νηῦς, νηυσίν, coniunctim protulere? aut quo argumento θώϋμα pronuncietur

tribus syllabis, ὡυτὸς autem duabus? Vide Etymologicum M. p. 826, 1. Nec quidquam de soluta diphthongo tradunt grammatici. Gregorius de dial. p. 196. τῷ ω ἀντὶ τοῦ α ἐν τῇ αυ διφθόγγῳ χρῶνται, ὡυτὸς λέγοντες ἀντὶ τοῦ αὐτός, καὶ θωυμάσας ἀντὶ τοῦ θαυμάσας. Quin aliud exstat haud leve argumentum, quo litteras ωυ unam syllabam etiam in Ionica dialecto constituisse appareat. Nam diphthongum αυ isti non solum in ωυ, verum etiam in ω nudum mutarunt. Ioannes grammaticus in II. tractatu de dialectis p. 322. τὸ ω μέγα ἀντὶ τῆς αυ διφθόγγου ἐκφέρει, οἷον καῦμα κῶμα, θαῦμα θῶμα. Hinc recte Koenius ad Gregorium p. 196. θῶμα in Hesychio non sollicitandum iudicat. Nimirum quum ωυ obscurius pronunciaretur, ut magis perciperent aures litteram ω, atque υ propemodum delitesceret, levi discrimine pronunciationis factum est, ut υ prorsus abesse videretur, scribique solum ω posset. Id secus est in diphthongo ηυ, in qua quoniam diversissimae vocales coniunguntur, difficilius altera oblitterari potuit, quamquam tenuius audiretur. Ac respondet ista diphthongus Germanico *äu*, quod obscurius profertur a peritioribus, quam *eu*, quod est Graecum ευ. Ωυ autem propter ipsam duarum vocalium similitudinem et cognationem non potest non facillime in eam vocalem abire, quae principatum tenet. Quae quum ita sint, patet non solum punctis diaereseos Ionicam diphthongum ωυ liberari debere, sed veterem etiam accentum restituendum esse, ut ex θαῦμα non θωῦμα, sed θῶυμα fiat. Quare sic velim accentum collocari, infra dicetur.

CAP. XI.

De diphthongis.

Litteras vocales constat in Graeca lingua omnino quinque esse: quae quum omnes natura breves sint, ex diversis earum consociationibus nunc longae vocales, nunc diphthongi nascuntur. Nam ex eiusdem vocalis duplicatione longae vocales fiunt, ut δῆλος ex δέελος, quod exstat in Iliad. X. 466. Ex hoc vocabulo videtur ductum δείελος, cuius originem male explicavit Etymol. M. p. 261, 20. Sic μήτι ultima longa ex μήτιι est in Iliad. XXIII. 315. 316. 318. Ac quod vulgo, qui de Graeca grammatica scripsere, tradunt, duplex ι in dativis nominum monosyllaborum non coalescere, falsum esse ex Pindaro cognoscitur, in quo Δὶ ex Διΐ invenitur in Olymp. XIII. 149. Pyth. VIII. 142. Nem. I. 111. IV. 15. X. 105.

Ex diversarum autem vocalium coniunctione diphthongi oriuntur. Earum grammatici recentiores iuxta cum veteribus duodecim tantum numerant, quarum sex vocant proprias, αι, αυ, ει, ευ, οι, ου, sex autem improprias, ᾳ, ῃ, ηυ, υι, ῳ, ωυ. Verum si accuratius diphthongorum naturam considerassent, neque oculis se passi essent decipi, quatuordecim exstare diphthongos animadvertissent. Scilicet diphthongorum, quas proprias vocant, haec natura est, ut ex duabus constent brevibus vocalibus. Eae diphthongi numero septem sunt, αι, αυ, ει, ευ, οι, ου, υι. Quas autem improprias diphthongos nominant, eae priorem vocalem longam habent. Atque harum quoque septem sunt, ᾳ, αυ, ῃ, ηυ, υι, ῳ, ωυ. Sed quum αυ et

υι iisdem litteris diverſas voces exprimant, diſcrimen grammatici neglexere. Quod ſi is, qui litteras η et ω invenit, quo longam vocalem a brevi diſcerneret, etiam caeteris vocalibus, quum longae ſunt, alias tribuiſſet formas, non incidiſſent in iſtum errorem grammatici. Sed, ut ſententiam noſtram exemplis confirmemus, quis non videt longe aliam poteſtatem eſſe litterarum αυ et υι in αὔξω et νέκυι, quam in νᾶυς et Θυιάς? Αὔξω enim, ut ex ἀέξω natum, α breve habet; nec minus νέκυι in his Homeri Iliad. XVI. 526. 565. XXIV. 108.

αὐτὸς τ' ἀμφὶ νέκυι κατατεθνηῶτι μάχωμαι,
σύμβαλον ἀμφὶ νέκυι κατατεθνηῶτι μάχεσθαι,
Ἕκτορος ἀμφὶ νέκυι καὶ Ἀχιλλῆϊ πτολιπόρθῳ,

quoniam et nominativus et reliqui caſus huius nominis υ habent correptum. Contra νᾶυς et Θυιὰς α et υ producunt: quod in altero tum ex genitivo ναός, in quo α longum eſt, tum ex Ionica forma νῆυς cognoſcitur; in altero autem υ longum eſſe origo prodit, quandoquidem θύω primam ſyllabam producit. Atque ii, qui nuper ſcripturae compendia ex typothetarum officinis eiecerunt, male fecere, quum etiam hanc formam ῃ emigrare iuſſerunt. Hac enim percommode uti poteramus ad impropriam diphthongum a propria diſtinguendam. Similiter ᾑυταὶ pro αἱ αὐταί, impuram diphthongum habet. Iſta contractio invenitur in Sophoclis Antigona v. 929.

ἔτι τῶν αὐτῶν ἀνέμων ᾑυταὶ
ψυχῆς ῥιπαὶ τήνδε γ' ἔχουσιν.

Quos verſus quum uno ſpiritu addito corrigere deberet Brunkius, non ſolum magnam, ſed ab ſenſu etiam alienam mutationem fecit.

Caeterum longa vocalis impropriarum diphthongorum ficut in pronunciatione primas partes habet, ita eamdem praerogativam videtur in ſpirituum et accentuum appoſitione debere conſequi. Etenim proprias diphthongos recte ſcribi αἴ, αὔ, εἴ, εὔ, οἴ, οὔ, υἴ, inde clarum eſt, quod ſpiritus atque accentus ad utriusque vocalis conſociationem pertinent: qui propterea ſecundae vocali apponuntur, quia ea re ſignificatur, primam vocalem non debere ſolam pronunciari. Id aliter ſe habet in impropriis diphthongis. Nam quoniam in his prior vocalis maxime auditur, poſterior autem non modo tenuius, ſed etiam ſerius pronunciatur, par eſſe videtur, ut prior vocalis ſpiritum atque accentum accipiat. Quod quum in his, ᾄ, ᾔ, ᾤ, neceſſario fiat, hoc minus puto dubitabitur, quin idem faciendum ſit in reliquis. Scribendum ergo erit, νᾶυς, ἇυξε Doricum, νῆυς, ἤυδα, θῶυμα, ὥυτός, ὗιος. Vere enim videtur Etymolog. M. originem huius vocabuli a φύω repetere p. 775, 19. apteque Schneiderus in lexico Graeco Hiſpanicum *hijo* e Latino *filius* ortum commemorat.

Sed praeterea de duarum diphthongorum pronunciatione breviter dicendum videtur. Eae ſunt αι et ει, quas vulgo, qui Eraſmi ſectam ſequuntur, tam plena voce proferunt, ut et αι et ει eodem ſono ſint, quo Germanorum *ei*, vel *ai* in nomine *Kaiſer*, aut Britannorum *i* longum. Eam veterum Graecorum pronunciationem fuiſſe vel propterea parum probabile eſt, quia ſic nihil inter has diphthongos discriminis fuiſſet. Mihi quidem αι recte videtur ab Reuchlinianis ita pronunciari, ut media ſit inter *a* et *e*, qui ſonus propius accedit ad *e* productum, niſi quod clarior eſt, quam η, cuius ſonus eſt obſcurior. Id non ſolum Latinum *ae*

arguit, ſed dialectorum quoque Graecarum comparatio reddit veriſimile. Hinc enim Dorica illa et Aeolica originem habent, τιμάσαις, δρέψαισα, in quibus α in αι abiit, ut factum in Anglorum lingua; et θναίσκω, μιμναίσκω, atque Ionica τιμῆς, θεῆσι, et Boeotica λεγόμενη, ποιϋμενη, quae cognatam vocalem η cum αι commutant eadem diverſitate, quae in Germanicae linguae dialectis reperitur. Alia ex hoc genere plura colligi poterunt. Aliud idque inſigne argumentum pro hac ſententia exſtat in Callimachi epigr. XXX.

> Λυσανίη, σύ γε ναίχι καλός, καλός· ἀλλά, πρὶν εἰπεῖν
> τοῦτο σαφῶς, ἠχὼ φησί τις, ἄλλος ἔχει.

Videndus de hoc loco Valkenarius ad fragm. Callim. p. 20. Porro elegantia pronunciationis accedit, quae admodum nulla eſt, ſi Eraſmi ſententiam ſequimur. Etenim quis credat, ut alia omittam, in coniunctione καί, quae non ſolum frequentiſſime adhibetur, ſed etiam ſaepiſſime, vocali quidem ſequente, corripitur, plenam iſtam duarum vocalium, craſſamque copulationem Graecis auribus placere potuiſſe? Denique neſcio an noſtra opinio confirmetur accentu, qui in nominativis primae declinationis, et in infinitivis verborum hanc diphthongum brevis vocalis loco habendam indicat. Nam quo pacto id commode fieri poſſit, ſi craſſiore ſono proferatur, non ſatis intelligo. Quin etiam οι nominativorum ſecundae declinationis, quod itidem brevis ſyllabae inſtar eſt, propius acceſſiſſe ad Latinorum *oe* videtur.

Sunt tamen quaedam verba, in quibus diphthongum αι non dubitem plenius pronunciatam fuiſſe, ita ut utraque vocalis audiretur. Id factum

videtur in iis verbis, in quibus diphthongus αι ex vocalibus αϊ divisim pronunciatis orta est. In his enim vocabulis si αι ut Latinorum *ae* pronunciaretur, verba ista non possent intelligi. Talia sunt δεδαιγμένοι apud Pindarum Pyth. VIII. 125. δαΐζω apud Aeschylum in Agam. v. 216. ἄιστος apud eumdem in Eumenid. v. 552. quod accentum in prima littera habere debet, ne, si de more αἶστος scribatur, circumflexus aut originem vocabuli occultet, aut alteram diphthongi pronunciationem adhibere suadeat.

Diphthongum ει male pronunciari plena voce, ut Germanicum *ei* aut Britannorum *i* longum, vel Latina lingua docere potest, quae istam diphthongum nunc in *e* nunc in *i* mutat. Quin inter ipsos Graecos ει cum ι et ε atque η permutari solitum fuit. Hinc illa sunt, εἴκελος, ἴκελος, εἶδον, ἴδον, ἀπόδειξις, ἀπόδεξις, γινώσκειν, γινῶσκεν, Θήβαθεν, Θείβαθεν, ἥρωες, εἵρωες, vid. Maittair. dialect. p. 158. Ex quibus merito colligi videtur, diphthongi ει sonum fuisse medium inter ε et ι, eodem modo ut in quibusdam Germaniae regionibus *ei* pronunciatur. Eamque sententiam egregie confirmat epigramma Callimachi, quod supra commemoratum est. In quo, nisi ει propius ad ι accederet, non potuisset echo dici ad ναίχι respondere ἔχει.

Cap. XII.

De consonantibus.

Digna hodierno Graeciae servitio ea lingua est, quam nunc in illis regionibus loquuntur, in qui-

bus olim, florentibus rebus Graecorum, ad summum sermo humanus pervenerat fastigium. Non potuere tamen omnia veteris linguae monumenta, ne in pronunciatione quidem, funditus exstirpari: sed, quod merito quis miretur, etsi in vocalium usu omnia innovata sunt, consonantium tamen vim, secus atque in aliis linguis accidisse videmus, integram ac genuinam usque ad hunc diem Graecia conservavit. Ita quaedam certe in hodierna Graecorum lingua melioris aevi ruinae, sed hoc tristiores, exstant, quo foedioribus obrutae sunt barbariei sordibus. Pro temporum vicissitudinem, quae non contenta regias arces deiicere et urbium delere vestigia, in ipso hominum ore divinam sermonis vim frangit, ut, quemadmodum universus terrarum orbis eorum, quae antea fuere, sepulcrum est, ita hominum quoque infantia pristinam testetur conticuisse linguarum magnificentiam.

Quod dixi consonantium hodie apud Graecos eamdem vim esse, quae olim fuerit, haec potissimum exempla demonstrant, ζ, ϑ, σχ.

Ex his ϑ nullam habet controversiam. Id hodierni Graeci, pariter ac Britanni suum *th*, lingua ad dentes appellente pronunciant, ut medium sit inter *t* et *s*. Eumdemque huius litterae sonum etiam apud antiquos obtinuisse, multa documento sunt, Dorica mutatio huius litterae in cognatam σ, ut Ἀσαναία, σεῖος; omissio ante eamdem cognatam in futuris et aoristis verborum, ut πείσω, ἔπεισα; omissio post eamdem Doriensium propria, ut ἐσλός; mutatio denique litterae τ ante spiritum asperum in ϑ, qui sonus sponte se offert, quum litteram *t* sequitur *h*.

Sed transeo ad ζ, quae littera magnae videtur obnoxia esse dubitationi. Id hodierni Graeci in

initiis vocabulorum atque inter duas vocales ut Galli suum *z* proferunt, id est propemodum ut lene *s*. Simon Portius in Grammatica linguae Graecae vulgaris: *ζ suavius effertur Latinorum s, aequivaletque simplici s, cum in medio dictionis ponitur, ut in hac voce*, Musa. *ζ insuper post τ sonat σ, ut in hac voce, ἔτζι, constat, et in aliis pluribus.* Germani ζ ut suum *z*, id est ut *ts*, pronunciant. Contra grammatici Graeci et quicumque veterum huius rei mentionem fecere, ad unum omnes ζ esse dicunt σδ, atque sic ab Aeolensibus et Doriensibus scribi testantur, ut σδεύγλα, μελίσδεται. Vide Koenium ad Gregorium Corinthium p. 281. et Fischeri animadversiones ad Wellerum spec. I. p. 145. qui quem affert Ioannis grammatici locum, ut ostendat fuisse, qui ζ ut δσ pronunciatum traderent, in eo iam Aldus in Hortis Adonidis p. 244. a. edidit σ καὶ δ, Σδεύς, σδυγόν, μελίσδειν. Paullo probabilius id colligi poterat e verbis Gregorii Corinthii p. 281. πλανηθέντες δὲ κατά τινα (scribe κατὰ τὴν) προφορὰν λέγουσι τὸν ζυγὸν σδυγὸν, καὶ τὸ ξίφος σκίφος, καὶ τὸ ψέλλιον σπέλλιον. Verum meliores lectiones praebet liber MS. Augustanus, in quo haec ita leguntur: πλανηθέντες δὲ κατά τινα προφορὰν λέγουσι τὸν ζυγὸν δυγόν, καὶ τὸ ξίφος σκίφος, καὶ τὸ ψέλλιον σπάλιον. Ac maxime omnium adverbia illa, Ἀθήναζε, et similia, veterum scriptorum sententiam confirmant; tum etiam ἕζομαι, dictum pro ἕδσομαι, similiter ut ἕσπομαι pro ἕπομαι, ἐνίσπω pro ἐνέπω, ἴσχω pro ἔχω. At neque ut δσ neque ut σδ sonare potuisse ζ, id argumento est, quod veteres eam litteram ante β et μ loco litterae σ collocabant, ut ζβεννύναι, Ζμύρνα. Vide Eustathium p. 217. et quae praeterea affert Hemsterhusius ad Lucianum T. I. p. 94. Quae littera quum in his

ſuavitatis cauſſa adhibita dicatur, aſperiore videtur ſono eſſe, ſi ut δσ vel σδ pronunciatur, quam σ ſimplex.

In hac perturbatione haec maxima videtur difficultas eſſe, quod haec duo ſibi repugnare videntur, ζ tam lenem ſonum habuiſſe, ut etiam ante conſonantes β et μ pro σ poneretur, ſimul autem duplicis litterae ſuſtinuiſſe vicem, ut breves vocales, quae praecederent, etiam ſi ultimae eſſent in vocabulis, produceret: adeo ut in raris exceptionibus numerentur illa,

οἳ δὲ Ζάκυνθον ἔχον,
ἱερῆς εἰς ἄστυ Ζελείης.

Atque haec repugnantia etiam Hemſterhuſio in eo, quem indicavi, loco magnae offenſioni fuit. At, niſi fallor, haec omnia ita componi atque explanari poterunt, nihil ut usquam obſcuritatis relinquatur. Illud primum omnes conceſſuros ſpero, ζ non potuiſſe non lenem et ſuavem ſonum habere, quippe quod ante β et μ collocatum fuerit. Et ita Dionyſius Halicarnaſſenſis de ſtructura verborum XIV. p. 102. ed. Vpton. τριῶν δὲ τῶν ἄλλων γραμμάτων, ἃ δὴ διπλᾶ καλεῖται, τὸ ζ μᾶλλον ἡδύνει τὴν ἀκοὴν τῶν ἑτέρων. Vide Voſſium ad Catullum p. 321. Quod ſi hunc lenem ſonum habuit ζ, qui idem eſt, quem etiamnum apud Graecos habet, productio quoque praecedentium vocalium ex hoc ſono explicanda erit. In ea vero re viam monſtrat conſentiens veterum ſcriptorum adnotatio, litteram ζ ut σδ pronunciatam teſtantium. At enim vero iſta obſervatio recte intelligenda eſt. Etenim qui ζ eſſe σδ tradiderunt, non has litteras σ et δ ſigillatim voce exprimendas indicare voluerunt, verum id tantum egerunt, ut

ostenderent, e quibusnam litteris conflatus esset litterae ζ sonus. Etenim vere ζ has litteras complectitur, sed ita ut a leni σ initium fiat, deinde autem vox ad δ transitura in ipso propemodum huius litterae pronunciandae conatu consistat. Ea re fit, ut δ paene obscuretur, et vox tamen diutius in leni illo litterae ζ sibilo retardetur. Eaque caussa est productionis praecedentium vocalium. Quis enim, qui quidem genuinam vim litterae ζ aut voce perite exprimere, aut auribus notare sciat, non sentiat, quantumnis breviter brevis vocalis ante ζ posita pronuncietur, totius syllabae tamen, quae ante ζ est, moram hoc sibilo ad productae syllabae mensuram extendi? Aeolenses igitur ac Dorienses quum σδ pro ζ adhibuerunt, aut in scribendo tantum existimandi sunt antiquum morem praetulisse, aut, si quid etiam in pronunciatione mutarunt, id in eo constitisse credibile est, quod paullo magis, quam aliae Graecorum gentes, utramque litteram, σ et δ, voce exprimerent.

Sequuntur, de quibus dicendum puto, litterae σχ. Eas in Germania vulgo ut Germanicum *sch*, aut Britannorum *sh*, aut Gallorum *ch* pronunciant. At veteribus Graecis hunc sonum non minus, quam hodiernis, inauditum fuisse, vel eo cognoscitur, quod nullus antiquorum de ea re quidquam adnotavit. Neque enim, qui de litterarum vi et pronunciatione scripserunt, id poterant omittere, quoniam iste, de quo dixi, sonus plane diversus ab reliquis omnibus est, neque conservari propriam vim litterarum σ et χ patitur. Deinde si iste sonus in Graeca lingua exstitisset, vix potest dubitari, quin ut in Germanorum lingua cum cognata *s* permutari debuerit: quod nullo

in vocabulo factum reperitur. Porro duo alia in hanc rem, eaque magis etiam perſpicua argumenta ſuppeditat lingua Graecorum. Primum enim σχ interdum cum σκ permutatur, ut in his, σχινδαλμός, σκινδαλμός. Ex quo genere etiam ἔσκον Ionicum foret pro ἔσχον, commemoratum a Gellio VI. 15. Sed recte videtur iam Weſſelingius ad Herodotum VI. 36. ἔσκε ex iſto loco, et ex capite 47. expuliſſe, ſuffragantibus etiam libris MSS. Deinde hoc ipſum vocabulum ἔσχον, iubente ſimilium comparatione verborum, et propriam ſibi litteram χ conſervare debet, et diſtincte litteram σ pronunciari poſtulat. Eſt enim eodem modo ἔσχον ab ἔχω formatum, quo ab ἕπομαι ἕσπομαι, ab ἕδομαι ἕζομαι, ab ἐνέπω ἐνίσπω, deducitur. Atque aoriſtus σχεῖν omiſſa littera ε dicitur, ut σπέσθαι, ab ἕπομαι ductum. Quae quum ita ſint, dubitari non poterit, quin σχ ſic debeat pronunciari, ut utrique litterae propria ſua vis conſtet.

Denique paucis explicabo de duplicatis litteris τϑ, πφ, κχ, quas notum eſt pronunciari debere ut ϑϑ, φφ, χχ. Id quum multi ſoleant negligere, in promptu ſunt, quae iſtos facile refellant. Nam ex his litteris τϑ ita comparatae ſunt, ut vix cultiſſimum atque exercitatiſſimum os propriam cuiusque litterae vim ſine inſigni moleſtia poſſit exprimere; illas autem πφ, et κχ non aliter quam φφ et χχ ſonuiſſe ex eo patet, quod verba unum φ aut χ poſt brevem vocalem habentia duplicatione harum litterarum praecedentem ſyllabam producunt, ut ὄπφις Iliad. XII. 208. quod duplicata littera legendum pridem monuit doctior grammaticis Ioſephus Scaliger ad Euſebium p. 119. ὀκχέοντι apud Pindarum Olymp. II. 122. ὄκχος Olymp. VI. 40. ἰάκχω, et alia ſaepius apud alios. Ea enim

prorsus similia sunt his, ἐννέπω, ἔλλαβεν, ἄμμορος. Atque ut κάββαλε, κάππεσον, κὰπ πεδίον, κὰῤ ῥόον, et alia, quae Maittairius in dialectis p. 330. et seq. congessit, dici consueverunt, eodem modo κάτθεμεν et κὰπ φάλαρα, quasi duplicatis θ et φ, pronunciari debebunt. Eam rem clarius etiam ex illis exemplis licet cognoscere, in quibus altera ex his litteris prorsus excidit, ut brevi syllabae locus esset. Eiusmodi haec sunt: κάπετον apud Pindarum Olymp. VIII. 50. καπυρὰ apud Theocritum II. 85. καβαίνων Alcmanis apud Hephaestionem p. 44. Ex his exemplis colligi potest, etiam litterarum γγ in Homerico κὰγ γόνυ longe aliam vim esse, quam in ἐγγύς, ἐγγεγάασιν, et aliis similibus verbis. Nam in his quidem dubitari non potest quin istae litterae ut *ng* pronunciari debeant; κὰγ γόνυ autem sonabit *gg*, eadem comparatione, qua τθ, πφ, κχ, ut *thth*, *ff*, *chch* pronunciantur. Ac quis sibi persuadeat κατὰ γόνυ sic posse pronunciando mutari, ut proferatur tamquam *cangony*? Immo, nisi fallor, γγ etiam aliis in verbis ut *gg* sonuit. Cuiusmodi sunt productiores formae verborum in γω finientium, ut θιγγάνω, ἐρυγγάνω, φυγγάνω. Nam etsi non sum nescius in his quoque prius γ ut ν pronunciari potuisse, quum haec littera in plurimorum verborum derivatis formis recepta fuerit, ut in λανθάνω ex λήθω, in λαγχάνω ex λήχω, τυγχάνω ex τεύχω; eaque sit etiam Eustathii opinio ad Odyss. I. p. 1382, 34. alia tamen eaque propius accedens comparatio litteram γ in pronunciando duplicare suadet. Nam in λαγχάνω, τυγχάνω, et similibus non littera horum verborum propria, χ, duplicatur, sed ante eam collocatur alia littera γ. In θιγγάνω autem, et ἐρυγγάνω, et φυγγάνω, quum propria horum verborum littera duplicetur, vi-

dentur ea ad comparationem verbi κιχάνω, quod duplicatam habet litteram sibi propriam χ, exigenda esse. Nam ut ex θίγω θιγγάνω, ita ex κίχω κιχάνω fit. Quod verbum quum apud Homerum, et qui hunc sequuntur, primam syllabam brevem, secundam autem longam habeat, Attici contrariam adhibuerunt mensuram, quod non videtur fieri potuisse, nisi duplicata littera χ, ut in θιγγάνω. Itaque scribendum erit apud Atticos κιγχάνω, ut in Aeschyli Choephoris v. 618. in Sophoclis Oed. Col. v. 1450. In Euripidis Hippolyto v. 1444. in Alcestide v. 480. in Helena v. 603.

Cap. XIII.

De accentu generatim.

Sequitur tertia de elementis disputatio, quae ad accentum spectat. In qua re insignem mirari licet multorum temeritatem, qui eos, quos a grammaticis accepimus, accentus, ut recens quoddam inuentum, prorsus omittendos existimant. Quam quidem opinionem si opus esset refellere, nec vetustissimorum scriptorum auctoritas, neque alia etiam graviora argumenta deessent. Etenim nulla omnino lingua cogitari potest, quae careat accentu: nec qui accentus a grammaticis servatos improbant, sine accentibus Graeca scripta legere possunt, sed aliis utuntur, iisque, quod perabsurdum est, aut ex Latina lingua, aut ex ea, quae cuique vernacula est, petitis. Deinde hos ipsos accentus, quos grammatici servarunt, antiquissimos esse, Homericae aetatis monumenta ostendunt, in qui-

bus frequentiſſime is, qui nunc apicibus exprimitur accentus, menſuram ſyllabarum regit atque definit. Quam rem ego mihi videor certiſſimis argumentis demonſtraſſe in libro I. de metris cap. XXII. XXIII. Ibi quae dicta ſunt, nolo hic repetere. Neque omnino nunc mihi hoc conſilium eſt, ut omnem accentuum doctrinam explicem: ad quam rem non eae, quibus opus eſt, mihi paratae ſunt copiae. Id unum agam, ut ea, quae fundamenta ſunt huius doctrinae, exponam, ſimulque indicem, quae in hac parte grammaticae aliqua emendatione videantur indigere.

Atque in hoc genere illud in primis meminiſſe oportet, ſummi faciendam eſſe grammaticorum auctoritatem. Hi enim quum ferme ſoli veterem pronunciationem notatione accentuum conſervarint, quo tandem confugiemus in re, quae unice teſtimoniorum fide cognoſcitur, niſi ad eos, a quibus ſolis petere iſta teſtimonia licet? Id vero hoc facere poterimus confidentius, quo maiore cura hunc omnem locum a grammaticis explicatum animadvertimus. Aliquot tamen exempla occurrunt, in quibus a grammaticorum ſententia diſcedendum videatur. Eorum duplex ratio eſt exemplorum. In aliis enim auctoritas veterrimorum poetarum alium olim accentum, quam quem grammatici notarunt, obtinuiſſe docet, ut in ἀνεψιός. Cuius nominis genitivus quum in Iliad. XV. 554. producta ſyllaba, quae ante ultimam eſt, reperiatur, non eſt dubitandum, quin illud Homero fuerit proparoxytonon: id quod ſimillimo nominis Ἀσκλήπιος exemplo in lib. I. de metris cap. XXIII. oſtendimus. Atque in Porphyrii commentario de proſodia in Villoiſoni Anecdotis Gr. p. 113. iſta Homeri verba ſic ſcripta leguntur,

ἀνεψιᾶς κταμένοιο. Alia exempla eo dubitationem excitant, quod grammaticorum doctrinae plane contraria sunt, ut οὗτινος, ὧντινῶν et similia. Haec igitur videndum erit quo pacto cum regulis grammaticorum conciliari possint.

Sed explicemus iam leges accentuum, quas a grammaticis accepimus. Hi accentus dicunt duos esse, alterum acutum, qui unus in quoque vocabulo sit, alterum gravem, qui sit in omnibus syllabis, quae acutum non habeant. Ex utriusque coniunctione autem circumflexum nasci tradunt. Haec subtilius quam verius disputata esse, in libro I. de metris ostendi. Est enim unus tantum accentus, is, quem acutum vocant grammatici: isque ictum arseos indicat, quae est in cuiusque vocabuli numero ultima. Etenim quod unum dumtaxat accentum cuique vocabulo tribuunt grammatici, id quivis falsum esse animadvertat necesse est, quandoquidem quae ante hunc acutum syllabae sunt, omnes in anacrusin computandae forent. Id autem ne pronunciatio ipsa incommodum esse arguat, eo quoque poterit refelli, quod syllabarum anacruseos omnium par esse mensura debet. Atque ipsae dictiones encliticae contrarium evincunt, quarum quum haec sit natura, ut praecedenti verbo tamquam pars eius adiungantur, duplicem ei verbo, si proparoxytonon aut properispomenon est, addunt accentum, ut ἄνθρωπός τις, σῶμά μου. Regula igitur acuti accentus adhibendi haec est: earum arsium, quae cuiusque vocabuli propriae sunt, ultimam tantum accentu notari. Id autem propterea fit, quia, quum omnium numerorum fines subtilius exaudiantur, plurimum refert, ultimam arsin recte notari.

Porro tres omnino sunt loci, in quibus accentus collocari potest, primus in ultima syllaba, se-

cundus in ea, quae ante ultimam est, tertius in tertia a fine syllaba. Longius a fine vocabulorum non placuit Graecis removere accentum, ne nimia inde exsisteret numerorum in sermone inaequabilitas. Romani saepius quartam a fine syllabam acuerunt, aliarum gentium linguae etiam quintam et amplius. Sed quoniam numerus, ut in libro I. de metris demonstratum est, necessario mensuram sonorum definit, facile intelligitur, non in quacumque trium ultimarum syllabarum mensura parem accentuum rationem esse. Atque in vocabulis quidem quum syllabarum mensura iam sine accentu suum modum habeat, necesse est, ut pro mensurae ratione constituatur muteturve accentus. Ea res omnis hac continetur regula, ut morae, quae vocantur a grammaticis, i. e. brevium syllabarum pondera, omnis accentuum doctrinae fundamentum habeantur. Itaque aut in ultima mora, aut in ea, quae ante ultimam est, aut in tertia a fine collocatur accentus, hoc modo:

υυυύ πολιτικός,
υυύυ ξενοδόκος,
υύυυ πολύφατος.

Eadem est accentuum in longis syllabis ratio, quippe quae e contractione brevium nascantur. Igitur ex hac forma,

υυυύ

haec oritur alia,

υυ–́ τετυφώς, i. e. τετυφοός;

ex hac autem,

υυύυ

duae fiunt,

υυ–͂ ἀγαθῶς, i. e. ἀγαθέως;

υ–ὺ ναίχι, i. e. ναίχι;

totidemque ex hac,

ύυυυ

nascuntur,

ύυ–– φιλέω, i. e. φιλέοο,
υ–̃υ ὁμοῖος, i. e. ὁμόιος.

Vnus dumtaxat casus est, in quo quarta a fine mora accentum habet. Nam si penultima longa est, dum ultima modo corripiatur, non dubitarunt Graeci in tertia a fine syllaba accentum collocare, ut in ἄνθρωπος. Id etsi proprie, si quis syllabarum mensuram spectet, huiusmodi est,

ύυυυ ἄνθροοπος,

insignem tamen habet excusationem. Quoniam enim syllabarum mensura ἀνθρῶπος pronunciari postulat, necesse est, ut, si tertia a fine syllaba acuenda est, ea hoc vehementius acuatur, quo minus aut anacruseos loco haberi, aut, ut finis alicuius sonorum ordinis ante aliam arsin, quae novi ordinis initium sit, pausa quadam numerum vocabuli intercipere queat. Hinc fit ut istam syllabam acuenda ea, quae praecedit, correptius pronunciaverint, eodem modo, qui in Germanica lingua obtinet, ut in his, *únschuldig*, *únrichtig*, *vórsehen*, et similibus. Id clare intelligitur ex Homericis illis, ἴομεν, εἴδετε, μίσγεαι, pro ἴωμεν, εἴδητε, μίσγηαι, quorum plurima exempla attuli in lib. I. de metris p. 85. 86. Itaque ἄνθρωπος parum recedit ab eo, quod esset ἄνθροπος, sed mediam tamen productiorem ultima habet.

Quae praeterea a grammaticis adnotantur proparoxytona ultimam syllabam productam habentia,

de iis ſupra copioſius disputatum eſt, ubi de mutuis ſyllabis explicabatur.

Haec quidem generatim accentuum in omnibus verbis Graecae linguae ratio eſt.

CAP. XIV.

De accentu conſopito.

Nunc autem dicendum eſt de mutatione accentuum. In quo genere pleraque docte atque erudite explicarunt grammatici; quaedam autem non videntur ſatis ad illas, quae generatim ſunt accentuum leges, accommodaſſe. Accentus mutatur propter tres cauſſas: propter dialectum, ut *γυναικές*, quod Aeoles dicunt *γυναίκες*; propter ſignificationem, ut *πόνηρος* et *πονηρός*; denique propter continuationem et perpetuitatem orationis. De hac quidem ſola nunc explicandum videtur, quandoquidem reliquae uſu tantum grammaticorumque teſtimoniis cognoſcendae ſunt. Ac perpetuitas orationis tribus modis mutat accentum. Nunc enim eum conſopit, nunc inclinat in praecedentes ſyllabas, nunc promovet ad ſequentes.

Conſopiri dicitur accentus in vocabulis oxytonis, quae ſunt in media oratione, ut in his exemplis, *τὸ πρᾶγμα*, *καλὸς κἀγαθός*. Grammatici enim quum animadverterent, vocabula oxytona in media oratione minus poſſe, quam in fine orationis, acui, quia vehementius acuendis numerum, quo univerſa oratio continetur, interrumpi neceſſe eſſet, ea vocabula gravi, quem vocant, ac-

centu notanda existimarunt. Id recte sane factum est, modo ne male intelligatur. Etenim si ista exempla sic pronunciarentur, τό πρᾶγμα, καλός κἀγαθός, in utroque exemplo duo forent membra, τό, i. e. τοῦτο, et πρᾶγμα, καλός, et deinde ab hoc seiunctum κἀγαθός. Gravis igitur accentus percommode hanc utilitatem affert, ex eo ut cognoscamus, vocabula oxytona minus acuenda esse, quo facilius eodem numero cum sequentibus verbis coniungi queant. Sed illud non est verum, gravem huncce accentum, qui acuti loco ponitur, eumdem esse, qui in omnibus syllabis acuto accentu destitutis reperiatur. Haec enim syllabae nullum accentum habent: ultimae autem verborum oxytonorum syllabae, si ea verba in media oratione sunt, habent quidem accentum, sed minus acutum. Recte ergo scribitur, τὸ πρᾶγμα, καλὸς κἀγαθός, male autem, quod quidam olim grammatici fecere, Θὲόδὼρὸς. Caeterum ob eamdem caussam, ob quam oxytona in media oratione gravi accentu scribuntur, acuto scribenda esse patet non solum ante maiores interpunctiones, sed ubique, ubi aliquam orationis intercapedinem vel comma, vel alia quaevis caussa affert. Id quod Reizius docte iam pridem demonstravit.

Quin apud poetas si versus dictione oxytona finiuntur, eam recte quidam recentiorum, ut Posselius, etiam si amplius procedat constructio, acuto accentu notandam iudicarunt. In qua re duces habent haud paucos e veteribus codicibus. Sic in Theocrito XXII. 30.

> ἔνθα μιᾶς πολλοὶ κατὰ κλίμακος ἀμφοτέρων ἐξ
> τοίχων ἄνδρες ἔβαινον Ἰησονίης ἀπὸ νηός.

Immo vero etiam eae dictiones oxytonae, quae in media oratione ſic ponuntur, ut conſtructionis expertes ſint, acuendae erunt, τὸ Ἀχιλλεύς ὄνομα, ἡ ἀπό πρόθεσις, ἡ νίν ἀντωνυμία, ὁ εἴ σύνδεσμος. Quam pronunciandi rationem uti ſponte ſequitur vox, ita eam ipſa rei natura veram eſſe docet. Nam orationis perpetuitate ſublata, quae unice in conſtructionis continuatione poſita eſt, erigi etiam accentum, quem conſtructio conſopiverat, neceſſe eſt.

CAP. XV.

De inclinatione accentus.

Sequitur inclinatio accentuum. Eius haec natura eſt, ut dictio acuta propter cohaerentiam ſenſumque verborum retrahendo accentu gravetur.

Retrahitur autem accentus propter duas cauſſas, primum propter apoſtrophum, ut φήμ' ἐγώ, ne vox deſtituta accentu numerum omnem amittat.

Lexicon MS. πᾶν ὄνομα μονοσύλλαβον ἢ ὀξύνεται ἢ περισπᾶται, πλὴν τοῦ τὶς ἀορίστου ἐγκλινομένου. ἐκλείψαντος οὖν τοῦ α ἐν τῷ τίν' ἵμερον, καὶ τοῖς ὁμοίοις, ἐπανεβίβασε τὸν τόνον. Verba iſta, τίν' ἵμερον, deprompta ſunt ex Sophoclis Electra v. 542.

ἢ τῶν ἐμῶν Ἅιδης τίν' ἵμερον τέκνων,
ἢ τῶν ἐκείνης, ἔσχε δαίσασθαι πλέον;

Vbi ſcholiaſtes MS. ἰστέον, ὅτι τὸ τίν' ἵμερόν οὐκ ἔστι τίνα ἵμερον, εἰ διαλελυμένως εἴποις, ἀλλὰ τι-

νὰ ἵμερον. διὰ δὲ τὸ κοῦφισμα μετετέθη ὁ τόνος. Sic in Choephoris Aeſchyli v. 112.

τίν' οὖν ἔτ' ἄλλον τῇδε προστιθῶ στάσει;

Sed in hoc genere peccare ferme ſolent libri MSS. τὰ δεῖν' ἔπη pro τὰ δείν' ἔπη, et alia ſimiliter exhibentes. Nam ſi talia circumflecterentur, id indicio foret, tertiam a fine ſyllabam ultima, quae accentum habebat, eliſa acui: ita ut in illo verſu,

ἐκ τῶν πόνων τοι τἀγάθ' αὔξεται βροτοῖς,

τἄγαθ' αὔξεται ſcribendum eſſet. Id quod non habet idoneam rationem.

Altera cauſſa, propter quam accentus retrahitur, poſita eſt in ſignificatione verborum aucta imminutave, aut alio modo mutata, ut in his,

ἔστι μέγας οὐρανῷ Ζεύς.
ὦ ξεῖνοι, τίνες ἔστε; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;

Atque ad hoc genus eae quoque dictiones pertinent, quae accentum ſuum ſolent in praecedente vocabulo deponere. Nulla enim usquam dictio exſtat, quae natura careat accentu. Nec poteſt profecto. Exempta enim omni numero foret, quo nulla non continetur oratio. Harum ergo dictionum ea natura eſt, ut, dum coaleſcunt cum praecedentis vocabuli numero, quaſi pro parte aliqua huius vocabuli habeantur. Id grammatici ὁμαλισμὸν dixere.

Sed haec res multis eſt magnisque obnoxia dubitationibus. Nam neque grammaticis fidem abrogare, neque eorum praecepta ſatis tuto ubique ſequi licet. Fidem iis abrogare periculoſum eſt, propterea quod eos videmus ſumma diligentia ve-

terem pronunciationem conſervaſſe. Vbique autem eorum praecepta ſequi nimia videtur ſuperſtitio eſſe, quandoquidem iſta praecepta haud raro ipſa ſibi repugnant. Videndum ergo erit, quo pacto ea, quae inter ſe pugnant, ita componi atque explanari poſſint, ut neque auctoritas grammaticorum nimis labefactetur, nec relinquatur quidquam, quod iis, quae fundamenta ſunt accentuum doctrinae, contrarium ſit.

Igitur iſte ὁμαλισμὸς ſi hanc vim habet, ut dictio enclitica cum praecedente vocabulo in unam dictionem coaleſcat, conſentaneum fortaſſe videatur, ut duae ita coniunctae dictiones iisdem accentuum regulis obnoxiae ſint, quae in una ſingula dictione obſervantur. Itaque quemadmodum σῶμα, σώματα, σωμάτων ſcribitur, ſcribi deberet etiam σῶμα, σώμα μοι, σωμά μ8, ὅςτις, οὕτινος, ἀντίνων. E quibus exemplis certe illa, quae vulgo ſcribi ſolent, ȣ̃τινος, ὧντινων, ferri nullo pacto poſſunt. Prorſus enim repugnant regulae illi, quae circumflexum ultra tertiam ſyllabam a fine removeri vetat, atque id quoque non niſi ſi ultima brevis ſit. Sed quantumvis male ſcribatur οὗτινος, ὧντινων, quis tamen auſit haec ſic ſcribenda pronunciare, ȣ̃τινος, ὠντίνων? Nam ſi eo accentu uſi fuiſſent veteres, non tacuiſſent id grammatici. Contra ubicumque dictiones encliticae aliis vocabulis adnectuntur, ea vocabula accentum, quem ſine dictionum encliticarum acceſſione habebant, ſervare, eoque accentu notari a grammaticis videmus, ut ἀνήρ τις, ἄνδρα μοι, σῶμά μ8, αἴρετέ με. Itaque haec regula certo poterit conſtitui, nullius vocabuli accentum mutari acceſſione dictionis encliticae.

Igitur ſi manet accentus vocabulorum dictionem encliticam praecedentium, videndum eſt,

quo pacto cum isto accentu inclinatio sequentis accentus apte conciliari queat. Atque id quidem in iis verbis, cum quorum accentu accentus dictionis encliticae coalescit, nullam habet difficultatem, ut in his, *ἀνήρ τις*, *ὅτι τε*, *πῶς τις*. In quibus autem verbis coniunctio ista utriusque accentus in unum tenorem admitti non potest, ea duplici accentu notantur, ut *ἔσωσά σε*, *σῶμά μȣ*. Atque obtinuit ferme, ut duo accentus sic tantum in uno verbo notentur, si vacua accentu syllaba inter utrumque accentum interponatur, ut in exemplis, quae attuli. Nam *σῶμά μȣ* est *σόομά μȣ*. Sed grammatici etiam duos continuos accentus tolerabant, si verbum, quod praecederet dictionem encliticam, trochaeo terminaretur, ut *λάμπέ τε*, *ὅττί μοι*, *ἄλλός μοι*, *ἔνθά μοι*; non item, si spondeo, aut iambo, aut pyrrhichio, nisi sequentibus litteris *σφ*, ut *ἦνθά σφεας*, *ἵνά σφιν*, *τόξȣ́ σφεών τις*. Vide Herodianum in Aldi Hortis Adonidis p. 224. a. et Characem ibidem p. 226. b. Verum eodem in loco Charax hunc morem ab accuratioribus, et in his ab Aristarcho ad initium Odysseae, improbatum refert, propterea quod veteres non putaverint commode duos continuos in uno verbo accentus collocari posse. Itaque in paroxytonis sic demum inclinatio accentus locum habere poterit, si is in eamdem cum proprio verbi paroxytoni accentu syllabam incidere potest, ut *ἄνδρα μοι*.

Haec si vera sunt, non poterunt dictiones encliticae accentum suum deponere in iis vocabulis, in quibus accentus encliticarum aut non potest coalescere cum accentu praecedentis vocabuli, aut ab eo non separatur unius syllabae moraeve interpositione. Recte igitur scribitur, *ἀνήρ τις*, *ἄνδρά μοι*, *φῶς μοι*, *αἱρετέ με*, *σῶμά μȣ*. Quibus autem

exemplis haec regula non convenit, in iis dictiones encliticae accentum suum servabunt. Atque haec grammaticorum quoque sententia est. Sic φύλλα ἐςί, Ἀγαμέμνων ἐςί, dicendum tradunt. Quamquam non omnia, quae praecipiunt in hoc genere, vera sunt. Vide quae Herodianus in Hornis Adon. p. 226. b. et seq. et Eustathius ad Odyss. VIII. p. 1600. l. 13. de ἐστὶ habent. Eodem modo ὧν εἰμὶ scribendum docet Charax p. 227. b. Neque alio pertinet, quod Herodianus l. l. et incertus auctor p. 230. a. commemorant, Φοῖνιξ ἐστί, κῆρυξ ἐστί: qui dumtaxat in ratione reddenda falluntur. Non enim, ut isti putant, syllaba positione longa inclinari accentum prohibere potest, quia nulla hic est positione longa syllaba. Id ex genitivis Φοίνικος, κήρυκος, mediam natura longam habentibus, intelligitur. Quare nominativi non circumflexum, sed acutum habere debent. Ad hunc igitur modum reliqua omnia exempla conformari debebunt. Sunt autem ea huiuscemodi.

Primum accentus dictionum bisyllabarum, quarum ultima brevis est, et e monosyllabis earum, quae longa syllaba constant, non poterit inclinari post vocabula paroxytona et perispomena. Scribendum ergo ἄνδρες τινές, ἄνδρα μȣ̃. Μȣ̃ enim, ut circumflexus indicat, non potest non longam syllabam habere. Contra ἄνδρα μοι recte scribitur, quia in hoc casu diphthongus pro brevi habetur, ut eadem in nominativis pluralibus secundae declinationis. Nec minus οἷ longum est, ut scribendum sit ἔστιν οἷ. Porro ob easdem rationes scribi debet οὗ τινός, φῶς μȣ̃. Enimuero negari non potest, ex hac scribendi ratione interdum aliquid difficultatis oriri, ut in Sophoclis Trachiniis v. 669.

ὥστε μή ποτ' ἂν προθυμίαν
ἄδηλον ἔργε τῷ παραινέσαι λαβεῖν.

Vbi τῷ quum significet τινί, vulgo scribitur sine accentu. Verum huiuscemodi difficultates non possunt eam vim habere, ut eas accentibus contra omnem analogiam ponendis vitandas esse existimemus, praesertim quum et in vulgari accentuum ratione, et in aliis plurimis rebus ambiguitates repetiantur, quas non nisi sensu verborum considerando expedire licet. Atque in accuratioribus libris, ut in Romana editione Eustathii, in talibus exemplis recte collocatos accentus inveneris. Sic in eo loco, quo supra usi sumus, p. 980, 51. καὶ ἔστι πῶς Ἀττικὴ ἡ τε Ἄθοω προπαροξυτόνησις.

Deinde si qua dictio enclitica duabus syllabis constat, quarum ultima longa est, ut τινῶν, ea numquam potest inclinari. Quamquam id quoque factum a grammaticis, hoc exemplum afferentibus, ἥκεσά τινων, ut a Choerobosco in Hortis Adonidis p. 229. b. et Charace p. 226. b. καὶ πρὸς σαφήνειαν δὲ δεῖ εἰπεῖν, ὅτι τὰ ἐγκλινόμενα ἢ μονοχρονεσιν, ὕβρισέ με, ἢ διχρονεσιν, ἥκεσά τινος, ἢ τριχρονεσιν, ἥκεσά τινων, (sic patet, non τινος, scribendum esse) καὶ τότε τῇ πρώτῃ λέξει ἀναβιβάζεσι τὸν τόνον, ὡς ἐλαφρὰ ὄντα. Eustathius ad Odyss. I. p. 1407, 42. μονόχρονος μὲν ἂν ποτὲ λέξις ἐγκλιθήσεται, οἷον τὸ τὶς, καὶ δίχρονος, οἷον τὸ τινές, καὶ τρίχρονος, οἷον τὸ φημί, καὶ τὸ τινῶν. τετράχρονος δὲ λέξις ἐκ ἂν ἀπαλλαγείη παντελῶς τε οἰκείε τόνε, ὡς διὰ τὸ βριθὺ τῆς τετραχρονίας κωλυομένης τῆς προπαροξυτονήσεως. Eodem modo grammatici Ἑρμῆς ἐστι, Θωμᾶς ἐστι scribendum censuere: vide Herodianum p. 226. a. Eustathium p. 1600. l. l.

Sed non satis est, quid grammatici errasse videantur, indicare. Quaerendum est etiam, qui factum

ſit, ut in iſtos errores inciderent. Non enim temere recedendum ab eorum ſententia eſt, quum eos in hoc genere accuratiſſimos fuiſſe videamus. Facile autem patet, pleraque omnia, quae aliter nos putamus, quam grammatici, ſcribenda eſſe, aliquam habere pronunciationis ambiguitatem, ut mirum non ſit, ſi grammatici a vera ratione deflexerint. Sunt illa, quae dico, haec: ἄνδρα μοῦ, φῶς μοῦ, οὗ τινός, ὧν τινῶν, ἤκουσα τινῶν. His ſimile ſit neceſſe eſt, quidquid amplius exemplorum afferatur. Atqui illa, ἄνδρα μοῦ, φῶς μοῦ, οὗ τινός, ὧν τινῶν adeo levi pronunciationis diſcrimine diſtant ab his, quae vulgo ſcribuntur, ἄνδρα μου, φῶς μου, οὗτινος, ὧντινων, ut errare admodum proclive fuerit. Non enim ſyllabae, quae accentum alias nullum habent, acuuntur. Hoc enim ſi fieret, difficilius error latuiſſet. Id in illo tantum exemplo uſu venit ἤκουσά τινων. Verum hoc non magnam vim habet. Eſt enim inter omnes dictiones, quae accentum ſuum in praecedenti vocabulo deponere ſolent, unum τινῶν, cuius ultima ſyllaba longa ſit. Id igitur quum neque aliis ſimilibus exemplis tueri ſeſe poſſit, et ipſum rarius occurrat, analogiae cauſſa videtur a grammaticis inter iſtas dictiones relatum eſſe. Nam quum caeteros caſus huius pronominis accentum ſuum deponere viderent, idem fieri debere in genitivo plurali exiſtimarunt. Ac fieret id ſane in hoc quoque caſu, niſi ultimae ſyllabae menſura depoſitionem accentus impediret. Quamobrem in iſto exemplo, ἤκουσά τινων, ultimam prioris verbi acutam non veteri pronunciationi, ſed opinioni grammaticorum aſſignandam eſſe exiſtimo. Antiquos enim verior analogia ἤκουσα τινῶν dixiſſe oſtendit.

Quum plures continuae dictiones encliticae adhibentur, earum unaquaeque notanda eſt accentu

ſequentis. In quo genere multi nunc peccant, εἴ τι μοι, ὅν κε τις, ſcribentes. Iſta in accuratis codicibus ſic ferme ſcribuntur, εἴ τί μοι, ὅν κέ τις, εἴτέ τις. Quod recte factum et grammaticorum auctoritas demonſtrat, ut Theodori Gazae lib. III. p. 178. Herodiani p. 223. b. incerti auctoris p. 231. b. l. ult. alius incerti p. 234. a. quorum duo hoc exemplo utuntur, εἴπέρ τίς σέ μοί φησί ποτε, et, quod multo gravius eſt, Homerica proſodia docet. Producit enim ille ſaepius dictiones ſynencliticas, quae niſi accentum haberent, produci nullo modo poſſent, ut Iliad. XV. 403.

τίς δ' οἶδ', εἴ κέν οἱ σὺν δαίμονι θυμὸν ὀρίνω.

Odyſſ. II. 249.

ἥ κέν οἱ κεχάροιτο γυνή, μάλα περ χατέουσα.

X. 434.

οἵ κέν οἱ μέγα δῶμα φυλάσσοιμεν καὶ ἀνάγκῃ.

Nam ne quis etiam absque accentus auxilio iſtas dictiones produci poſſe ex Iliad. IX. 392. demonſtrare velit,

ὅστις οἷ τ' ἐπέοικε, καὶ ὃς βασιλεύτερός ἐστιν,

in eo verſu non dubito quin ſcribendum ſit ἑοῖ. Οἷ enim pro αὐτῷ poſitum, encliticum eſt; pro ἑαυτῷ, non eſt encliticum. Et ſic alia ſimilia. Vide Apollonium de Syntaxi p. 141. ſeq. 147. ſeqq. et Etymologum M. p. 124, 8. Herodianum p. 225. a.

Dictiones encliticas interdum ſervare accentum, licet per praecedentis vocabuli accentum commode deponi poſſit, a grammaticis accepimus. Vide ſcholia Veneta ad Iliad. I. 368. grammaticum incertum in Hortis Adonidis p. 229. b. et Characem p. 228. b. Hic quoniam et copioſius et accuratius, quam reliqui, de hac re praecepit, verba eius ſic,

ut emendanda puto, adſcribam. Πολλοὶ δὲ τρόποι εἰσὶν ὀρθοτονοῦντες, καὶ προηγουμένης τῆς ὀφειλούσης δέξασθαι τὴν ἔγκλισιν· οἷον αἱ προθέσεις ὀξυτονοῦνται, καὶ ὅμως αἱ μετὰ τούτων ἀντωνυμίαι ὀρθοτονοῦνται· περὶ μοῦ, κατὰ σοῦ, μετὰ μοῦ, σὺν μοί, ὑπὲρ μοῦ. ὅθεν παρὰ Μενάνδρῳ σημειοῦται τὸ πρός με ἐγκλιθέν· οἱ δὲ ἐξηγηταὶ ἀστερίσκον προσφέρονται, ἀντὶ τοῦ πρὸς ἐμέ. Αἱ μετὰ συμπλεκτικῶν καὶ διαζευκτικῶν ὀρθοτονοῦνται. τὸ γὰρ ἢ μὲ ἀνάειρε (Iliad. XXIII. 724.) τὸ ε συνεκράθη μετὰ τοῦ ἢ, ἢ ἐμέ, ἢ μέ. ἀστερίσκος. καὶ τὴν ὀξεῖαν εἰς τὸ μέ φυλάττομεν. τὸ δὲ ὑπερστήτω μοι ὑπέρβατόν ἐστι, καὶ ὑποστήτω μοι, (Iliad. IX. 160.

καί μοι ὑποστήτω, ὅσσον βασιλεύτερός εἰμι.)

ὡς δείκνυμεν ἐν τῇ ἀντωνυμίᾳ. καὶ εὐλόγως ὀρθοτονοῦνται, ἐπειδὴ ἀντιδιαστολὴν πάντῃ εἰσφέρουσιν αὗται αἱ συντάξεις. Καὶ αἱ μετὰ τοῦ ἕνεκα καὶ ἕνεκα ὀρθοτονούμεναι, ἕνεκα σοῦ, ἕνεκα σοῦ, ἕνεκεν σοῦ· ἃ κακῶς ἐγκλίνουσί τινες. Haec ſi quis ad veram rationem revocare vult, dicendum eſt ita, pronomina praepoſitionibus ſubiuncta, et coniunctionibus iis, quae conſociationem disiunctionemve exprimunt, propterea ſervare accentum, quia praepoſitiones coniunctionesque illae pronominum cauſſa, non pronomina cauſſa praepoſitionum et coniunctionum adhibentur. Nam quae potior dictio eſt, ea non poteſt accentu carere. Recte ergo dicitur κατὰ σοῦ, ἕνεκα σοῦ, ἐμὲ ἢ σέ, ἐμὲ καὶ σέ. Neque ſolum ſi pronomina, ſed etiam ſi aliae dictiones encliticae ſequuntur, quarum quidem ea conditio ſit, ut potiorem locum teneant. Vt in Odyſſ. VII. 69.

ὣς κείνη περὶ κῆρι τετίμηταί τε καὶ ἐστίν

Sed ex hac ipſa re conſequitur, nec praepoſitionibus, neque coniunctionibus iſtis eas pronominum

formas, quae unice ſunt encliticae, ſubiungi poſſe, ut μῦ, μοί, μέ. Igitur quae commemorat Charax, περὶ μῦ, μετὰ μῦ, σὺν μοί, ὑπὲρ μῦ, omnia falſa ſunt. Dici enim debet περὶ ἐμῦ, μετ' ἐμῦ, σὺν ἐμοί, ὑπὲρ ἐμῦ. Id vel inde colligi poteſt, quod πρός με in Menandro notari dicit Charax, ἢ μὲ autem apud Homerum eſſe ἢ ἐμέ. Tum ita etiam Apollonius paſſim praecipit in lib. II. cap. 13 — 22. Etenim ubi illae pronominum formae ſubiungun- tur, quae neceſſario encliticae ſunt, non reguntur a praepoſitionibus, nec, ſi coniunctio praecedit, ad ipſas pertinet conſociatio vel diſiunctio, ſed aliunde pendent, atque deponunt in praepoſitione vel coniunctione accentum ſuum, ut ὑπέρ με πατρίδος. Quod in Odyſſea eſt, lib. VIII. v. 488.

ἢ σέγε Μῦσ' ἐδίδαξε, Διὸς παῖς, ἢ σέγ' Ἀπόλλων.

in eo σὲ non acuitur propter praecedens ἢ, ſed quia adiuncto γὲ numquam encliticum eſt. Quod ſi σὲ ſine γὲ dixiſſet, depoſuiſſet accentum, quia ἢ non ad pronomen, ſed ad Muſam et Apollinem refer- tur. Sic in Iliad. X. 388.

ἤ σ' Ἕκτωρ προέηκε διασκοπιᾶσθαι ἕκαστα
νῆας ἐπὶ γλαφυράς; ἦ σ' αὐτὸν θυμὸς ἀνῆκε;

Nam etiam in altero verſu ἦ σε, non ut vulgo ἦ σέ, ſcribendum videtur, quia αὐτὸν redundat. Vi- de Apollonium de ſyntaxi p. 141. et Herodianum p. 225. a. Contra in illo loco, quem Charax affert, ἢ μ' ἀνάειρε, ἢ pertinet ad pronomen. Verba enim haec ſunt:

ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ.

Sic in notiſſimo ſcolio recte ſcribitur,

σύν μοι πῖνε, συνήβα, συνέρα, συνστεφανηφόρει,

σύν μοι μαινομένῳ μαίνεο, σὺν σώφρονι σωφρόνει.

Nam σύν μοι non est *mecum*, quod dici debet σὺν ἐμοί, ut in prologo Hecubae,

πολὺν δὲ σὺν ἐμοὶ χρυσὸν ἐκπέμπει λάθρα πατήρ,

sed μοὶ pendet ex verbis σύμπινε, συνήβα, συνστεφανηφόρει μοι, συμμαίνεό μοι. Hinc coniecturam facere licet, cuiusmodi fuerit πρός με apud Menandrum. Quod quum grammatici apposita asterisci nota iuxta cum Homerico ἢ 'μ' ἀνάειρε comprobaverint, recte dictum fuisse necesse est, quamquam alia ratione, quam Homericum exemplum. Nam in Homero ἢ μὲ propterea probarunt, quod μὲ non esset encliticum monosyllabum, sed per crasin factum ex ἐμέ. Quam vere ita statuant, nunc non quaeram. Ab Homeri enim sermone ista crasis abhorret, de qua re bene disseruit scholiastes Venetus ad Iliad. VI. 355. In Menandro autem fatetur Charax deponi accentum, sed probantibus grammaticis. Id igitur isti non potuerunt aliter probare, nisi si μὲ non pependit e praepositione πρός. Quare πρὸς in illo Menandri loco necesse est aut per tmesin, quam vocant, a verbo suo disiunctum fuerit, aut adverbii vim habuerit, et significaverit *insuper*, veluti si Menander scripsit, καὶ πρός μ' ἔπαισεν, *et insuper me verberavit.*

Denique Choeroboscus p. 229. b. male adnumerat dictionibus encliticis μέν, δέ, γάρ, quas ipsa earum significatio docet non posse encliticas esse. Verba Choerobosci haec sunt: σύνδεσμοι δὲ ἐγκλίνονται, μέν, δέ, τέ, γάρ, οἷον, ἐγώ μεν, σύ δε, αὐτός τε, ἄλλοί γαρ, καὶ τὰ τοιαῦτα. In quibus fortasse aut ἄλλοι γαρ, aut ἄλλός γαρ scribendum

ex grammaticorum ſententia, quam et ſupra ex Herodiano commemoravimus, et Choeroboſcus hic tangit. Subiicit enim: ἐκεῖνο δὲ παραφυλακτέον, ὅτι, ἐὰν σπονδειακὴ πρόκειται λέξις, ἡ γοῦν (legitur ἤγουν) δισύλλαβος τὸν ἴδιον φυλάττει τόνον, οἷον, ἤδη φαμέν, οὕτως ἐστὶν, οὕτω ποτέ, καὶ τὰ ὅμοια. Quamquam ſi ἄλλοί γαρ ſcripſit, defendi hoc poterit eo, quod diphthongus οι nominativorum brevis habetur, ut ἄλλοι non minus, quam ἄλλος, inſtar trochaei ſit.

Cap. XVI.

De accentu pronominum ἡμῶν, ἡμῖν, ἡμᾶς, ὑμῶν, ὑμῖν, ὑμᾶς.

Peccatur vulgo in encliticis ἥμων, ἥμιν, vel, ſi ultima brevis eſt, ἧμιν, ἥμας, ὕμων, ὕμιν, ὗμιν, ὗμας, quae conſenſu grammaticorum retrahunt accentum in primam ſyllabam, ubi, ſi ſingularis foret, encliticae μοῦ, μοί, μέ, σοῦ, σοί, σέ, adhiberentur. Vide Apollonium Dyscolum de ſyntaxi p. 134. ſeq. 140. Theodorum Gazam lib. III. p. 178. Characem p. 226. b. 228. a. incertum grammaticum p. 230. b. 231. b. et Aelium p. 232. b. et p. 233. b. Etymologum M. p. 432, 30. Euſtathium ad Odyſſ. I. p. 1407, 40. Aelius quae dicit p. 233. b. οὐχ ὡς ἔτυχε δὲ ἐγκλίνεται, ἀλλὰ κατά τινα παρατήρησιν τῆς πρὸ αὐτῶν λέξεως, ἤκουσεν ἥμων, φέρετε ἧμιν, lucem accipiunt ab incerto illo grammatico p. 230. b. εἰ δὲ πρὸ τοῦ ἐγκλιτικοῦ εὑρεθῇ λέξις πυῤῥιχιακὴ ἀπὸ τόνου, δηλονότι ἐπὶ τὴν λήγουσαν, ὡς ἐπὶ τοῦ πολλάκις, ἢ ἰαμβικὴ ἀπὸ τόνου, ὡς ἐπὶ

τȣ̃ μεταμέλει, ἡ σπονδειακὴ ἀπὸ τόνȣ, ὡς ἐπὶ τȣ̃ Ἀτρείδης, καὶ ἐπιφέρονται δισύλλαβα ἐγκλιτικὰ, φυλακτικὰ γίνονται τῶν ἰδίων τόνων, ὡς Ἀτρείδης ἐστὶ, μεταμέλει ἡμῖν, πολλάκις εἰσί. Ergo iſta, ἥμων, ἥμιν, et ſimilia non dicuntur, niſi quum aut dictio oxytona, aut proparoxytona, aut properiſpomena praecedit.

Ἧμιν et ὗμιν ſcribendum diximus, ſi ultima corripiatur. Et ita in plurimis tragicorum locis edidit Aldus. Reizius de hac re ſic ſcribit: ἧμιν *ſcripſere, ſi et vocem inclinabant, et ultimam corripiebant, nec praegreſſa dictio accentum ſequentis pronominis recipere poterat.* Horum poſtremum falſum eſt. Numquam enim iſta pronomina, ne ultima quidem correpta, accentum deponunt. Charax p. 226. b. ἰστέον δὲ, ὡς ταῦτα τὰ τετράχρονα, καὶ εἰ συστέλλȣσι τὸ τέλος καὶ γίνονται τρίχρονα, ȣ̓κ ἀναβιβάζȣσι τῇ πρώτῃ λέξει, ἀλλὰ φυλάττȣσι τὸν τόνον, ὡς ὄντα ἀπ' ἀρχῆς ἐγκλινόμενα. Et p. 228. a. ἔφαμεν δὲ, ὅτι ἐν τῷ ά καὶ β' προσώπῳ, κἂν συσταλῶσι καὶ γένωνται (legitur γίνονται) τρίχρονοι, ἡμῖν, ἧμιν, ὑμῖν, ὗμιν, ȣ̓κ ἀναβιβάζȣσιν ἐν τῇ πρώτῃ λέξει, ἀλλ' ἐν τῇ ἰδίᾳ ἀρχῇ ἔχȣσι τὴν (τὴν abeſt) κλιτικήν. Gaza lib. III. p. 178. ἡ δὲ δοτικὴ μακροκαταληκτεῖ τῷ ι, καὶ περισπᾶται, καίτοι καθόλȣ τῆς δοτικῆς τὸ ι βραχὺ ὄν, ἢ ȣ̓δ' ἐνταῦθα αἰεὶ μακρόν. ὅθεν ȣ̓δ' αἰεὶ περισπώμενον, ἀλλὰ ἢ ὀξύτονον, ἢ παροξύτονον, οἷον δὴ καὶ τὸ Σοφοκλέȣς,

ἀλλ' ἧμὶν Αἴας πȣ̃ 'στίν;

Alia huius ſententiae documenta ex Apollonio Dyscolo mox afferam. Sed ex iis, quae nunc commemoravi, poſſit aliquis coniicere, ἧμιν ſcribi ſolitum fuiſſe, etiam ſi ultima brevis eſſet. Verum

Gazae quidem, diſertim hoc, ut videtur, contendentis, non eſt tanta auctoritas, ei ut ſoli credatur, ſi alii diſſentiant; Charax autem illud dumtaxat dicit, accentum ſervari in priore ſyllaba etiam ſi poſterior corripiatur. Is igitur accentus poteſt etiam circumflexus intelligi. Eamque Characis mentem fuiſſe, ſi quidem ille ſibi conſtitit, ex iis colligi poteſt, quae p. 228. a. extrema et ſeq. de pronomine αὐτὸν dicit. Id enim ubi inclinetur, quoniam deponat accentum in praegreſſa dictione, nec retrahat in priorem ſyllabam, non eamdem formam, quam Aeolicum αὖτον, habere ait. Ex quo conſequitur, ſi in primam ſyllabam retraheretur accentus, pronomen iſtud properiſpomenon futurum fuiſſe. Atqui hoc ipſum in pronomina ἧμιν et ὗμιν expetit. Et ſic ſcriptum legimus apud Euſtathium ad I. Odyſſ. p. 1407, 40. ὅτι τὸ ἡμῖν καὶ ἡμῶν καὶ ἡμᾶς ἐγκλίνονται μὲν παρὰ τοῖς παλαιοῖς. οὐκ ἀνακλίνουσι δὲ ἑτέρᾳ λέξει τὸν τόνον, ἀλλ᾽ ἀναπέμπουσιν εἰς τὴν οἰκείαν παραλήγουσαν. οἷον ἧμιν, ἥμων, ἥμας. ὥσπερ καὶ ἐνταῦθα πολλὰ τῶν ἀντιγράφων ἔχουσιν, οὐδέ τις ἧμιν θαλπωρή. Sed certius hanc ſcripturam confirmare licet duobis locis excerptorum ex Apollonii Dyscoli grammatica, quae Maittarius libro ſuo de dialectis Graecorum addidit. Vterque locus legitur p. 430. Prior hic eſt: ἡ ἀμὶν Δωρικὴ ἐγκλινομένη συστέλλει τὸ ἰ ἐν οἷς προπερισπᾶται· αἱ γὰρ ἅμιν τούτων μέλοι. ὀξύνομέν τε τό, ἀμὶν δ᾽ ὑπαυλήσει μέλος. Ἀλκμάν. Alter: ἡ ὑμῖν πάλιν παρ᾽ Ἴωσι προπερισπᾶται ἐγκλινομένη, καθὸ συστέλλει τὸ ἰ· καὶ ἔτι παρὰ Δωριεῦσιν· ὅσαισιν ὗμιν αἰνέσω. Σώφρων. καὶ ἐν ὀρθῇ τάσει· οὐ μάντοι δίφρον ἐπημμένον ὑμίν. Quae corrupta in his erant, emendavi, in quibus quare ὅσαισιν pro ὅσαις ſcribendum fuerit, locus Aelii, quem ſupra attuli, docere poteſt.

Ἄμιν reponendum in Aristophanis Lysistrata v. 1080.

ἀλλ' ὅπα σῖλει
παντᾶ τις ἑλσὼν ἅμιν εἰράναν σέτω.

Et sic etiam v. 1298. πρεπτὸν ἅμιν κλεῶα τὸν Ἀμύκλαις σιόν. Idem olim exstitisse apud Theocritum VII. 2. colligi potest ex adnotatione quadam, quam Portus e veteri codice in Apollonio de Syntaxi II, 15. p. 131. inseruit: τὸ παρὰ Θεοκρίτῳ,

σὺν καὶ τρίτος ἄμμιν Ἀμύντας,

δεόντως ἠξίωσάν τινες ὀρθοτονεῖν. Ἄμμιν enim Aeolicum natura habet accentum in priore syllaba: quare de eo hic agi non potuit. Sed qui ἅμιν scribebant, inclinato tenore, reprehendi potuere ab eo, cuius ista est adnotatio, quod post praepositiones non essent inclinanda pronomina. Quamquam hoc quidem in loco etiam absque praepositione non ἅμιν, sed ἁμὶν scribendum esset, quia praecedit vocabulum paroxytonon.

Satis iam arbitror clarum esse, ἥμιν et ὕμιν scriptum fuisse, ubi ultima corriperetur. Sed, ut redeam ad Reizii opinionem, circumflexum ibi demum adhibitum fuisse, ubi praegressa dictio non posset accentum pronominis recipere, ad eam ille opinionem comparatione similium dictionum videtur adductus esse. Nam quum videret dictiones encliticas duarum syllabarum, quae ultimam brevem habent, omnes deponere accentum in praegressa dictione, si ea esset aut oxytona, aut proparoxytona, aut properispomena, idem etiam in pronominibus ἥμιν et ὕμιν fieri debere existimavit. At horum alia ratio est. Quoniam enim natura

ſua τετϱάχϱονοι ſunt, inclinatio ſic tantum fieri poteſt, ut accentum retrahant in priorem ſyllabam, ἥμιν, ὕμιν, ultima ſyllaba producta. Eam vero poetae corripiunt. Quae correptio quia licentiae poetarum, non communis conſuetudinis propria eſt, videtur inſtitutum manſiſſe, ut maneret inclinatio, qualem communis uſus adhibebat, id eſt, in priore ſyllaba ipſius pronominis. Sed quoniam ultima iam corripiebatur, circumflexum adhiberi par erat. Itaque tantum abeſt, ut pronomina ἧμιν et ὗμιν, ultima correpta, ſi accentum reciperet praecedens dictio, eum amiſerint; ſi autem non reciperet, circumflexum habuerint; ut magis, ubi biſyllabae encliticae accentum praegreſſa dictio reciperet, ἧμιν et ὗμιν ſcriptum fuerit, ubi autem eum non reciperet, non inclinari omnino iſta pronomina, ſed ſcribi ἡμίν et ὑμίν conſueverint.

CAP. XVII.

De enclitico αὐτόν.

Multo magis negligi ſolet encliticum αὐτόν. Id in ſolo accuſativo inclinari et accentum ſuum praecedenti vocabulo tradere auctores ſunt Charax p. 228. a. b. et Aelius p. 233. a. allato hoc exemplo, κόψαι γάϱ αὐτον ἔχοντα. Reliqui caſus accentum conſervant. Nec ſane alii caſus ad depoſitionem tenoris apti ſunt, quam qui ultimam brevem habent. Sed nominativus quare non deponat accentum, manifeſtum eſt. Hic enim ſemper ad perſonae diſtinctionem adhibetur, neque *is*, ſed *ipſe* ſignificat.

In reliquos casus autem utraque significatio cadit. E quibus quoniam solus accusativus ad depositionem tenoris accommodatus est, in hoc solo deponitur accentus. Sed facile intelligitur, αυτον non posse encliticum esse, nisi quum *eum* significat. Sicubi enim notat *ipsum* vel *solum*, ipsa significatio verbi accentum requirit. Id ita esse vel ex pronomine ἑαυτὸν intelligitur, quod, nisi αὐτὸν *ipsum* significans accentum suum servaret, diceretur ἔαυτον. Quae accusativi singularis numeri ratio est, eamdem etiam in reliquis casibus singularis et pluralis numeri, solo nominativo excepto, obtinere probabile est. Isti enim casus omnes significationem pronominis admittunt. Nec dubito sane, quin hoc totum pronomen cum omnibus casibus suis, praeter nominativos, inter dictiones encliticas referri debeat. Quorum casuum solus accusativus singularis deposuit accentum, reliqui retraxisse in priorem syllabam videntur iisdem conditionibus, quibus ἥμων, ἥμιν, ἥμας. Enimvero quos supra commemoravi auctores inclinandi pronominis αὐτὸν, ex iis Aelius p. 233. a. haec tantummodo habet: τῶν δὲ καλυμένων μονοπροσώπων μόνη ἡ αἰτιατικὴ αὐτὸν ἐγκλίνεται. κόψαι γάρ αυτον ἔχοντα. Neque alia est Characis sententia p. 228. a. sed hic tamen fuisse ostendit, qui etiam reliquos casus inclinato accentu pronunciari vellent. Verba Characis haec sunt: φασὶ δὲ τὰς ἐχύσας χαρακτῆρα καταλήξεως μὴ ἐγκλίνεσθαι, ὡς ἡ ἐκεῖνος καὶ ὗτος, ἀλλὰ μόνον ἡ αὐτὸς κατὰ αἰτιατικὴν παρέβη· κόψαι γάρ αὐτον. ὁ καλὸς δὲ τοι ὁ λόγος. ὡς γὰρ βαρύτονοι ὗσαι οὐκ ἐγκλίνονται ἐκεῖνος, ἐκείνυ, ὗτος, τύτυ. τὰ δὲ (δὲ abest) αὐτὸν ὀξύνεται. ἀλλὰ πρὸς τύτοις (legitur τύτυς) φασίν, ὅτι ἡ αὐτῦ, αὐτῷ, ὐκ ἐγκλίνονται, ἀλλ᾽ ὡς τετράχρονοι εἰς τὴν ἰδίαν ἀρχὴν τὸν τόνον ἀναπέμ-

πουσι. πρὸς οὓς φαμὲν, ὅτι διὰ τὸ μὴ συνεμπεσεῖν τοῖς Αἰολεῦσι βαρυτόνως λέγουσιν αὖτου καὶ αὖτῳ. ἡ δὲ αἰτιατικὴ οὐ συνεμπεσεῖ. (legitur συνέμπεσεν) ἐγκλινομένη γὰρ εἰς τὴν πρὸ αὐτῆς λέξιν τὸν τόνον ἀναπέμπει, κόψαι γάρ αὐτὸν ἔχοντα· τὸ δὲ (δὲ abest) Αἰολικὸν εἰς τὴν ἀρχὴν, αὖτον. Nihil profecto ineptius est istis grammaticorum cautionibus, quibus ubique ambiguitates evitare allaborant. Quid enim Atticorum intererat aut Ionum, cavere, ne non satis intelligerentur ab Aeolensibus?

CAP. XVIII.

De enclitico ἐστιν.

Porro ἐστὶ et ἔστι quando scribendum sit, copiose est a grammaticis expositum: vide Herodianum p. 225. seq. b. et alium incertum auctorem p. 231. a. et Etymologum M. p. 301, 2. atque Eustathium ad Odyss. VIII. p. 1600, 13. Sed de hoc quoque verbo quum alii alia addiderunt, quae refert Fischerus ad Wellerum vol. I. p. 265. tum nos quoque aliquid poterimus adiicere. Scilicet ea, quae seu veteres seu recentiores de isto verbo adnotarunt, haec sunt: ἔστι retracto accentu dici in his casibus: quum sententiam inchoat; in interrogatione; post dictiones ἀλλ', εἰ, καί, μή, οὐκ, ὡς, τοῦτο, μέν, ὅτι, πού; denique in formulis, ἔστιν ὃς, ἔστιν ὅτε, ἔστιν ὅπου, ἔστιν ὧς, et similibus. Haec omnia ad unam possunt eamdemque caussam referri, unde ea multo latius patere apparebit. Verbum ἐστὶν enim duas habet significationes, unam, quae simpliciter

copulae, quam logici vocant, munere fungitur, et praedicati alicuius accessionem requirit, ut τῦτο ἐστὶν ἀληθές; alteram, quae ipsum in se conclusum habet praedicatum, ut ἔςι θεός. Harum significationum prior ubi obtinet, ultima syllaba acuitur, quo fit, ut minus audiatur verbum. Non enim ea syllaba principalis est, sed terminatio tantum verbi. Ac potest hac significatione verbum omitti, ut τῦτο ἀληθές. Altera significatione simul praedicatum contineri dixi. Ἔστιν enim est ἔστιν ὄν. Sic ἔστι θεὸς est θεὸς ἐστὶν ὤν. Haec igitur significatio quoties huic verbo inest, necessario prima syllaba, ut principalis, acui debet, quo intelligamus propriam verbi vim spectandam esse. Atque hac significatione omitti ἔστι non potest. Nam si quis putet, hoc, ἔστι τις λόγος, etiam sic dici posse, λόγος τις, magnopere erraverit. Diversissima enim utriusque formulae ratio est. Illud, ἔστι τις λόγος, τὰν ἀρετὰν ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις, hanc vere exstare famam significat. Hoc autem, λόγος τις, τὰν ἀρετὰν ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις, perinde est ac si dicatur, τὸ τὰν ἀρετὰν ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις ἐστὶ λόγος τις. Sic θεός, si sine verbo dicitur, non potest significare ἔστι θεός. Quod si praedicatum aliquod addatur, ut θεὸς ὁ πάντα κυβερνῶν, id significabit θεός ἐςιν ὁ πάντα κυβερνῶν. A quo multum differt hoc, ἔστι θεός, ὁ πάντα κυβερνῶν. In hoc enim exemplo ista, ὁ πάντα κυβερνῶν, omitti possunt, quae a superiore abesse nequeunt. Persequar nunc illas formulas, in quibus ἔστι grammatici scribendum docent.

Earum prima haec est, quum ἔστι sententiam inchoat. Atqui hic non aliam ob caussam retrahitur accentus, quam quod ἔστι simul praedicatum continet, ut,

ἔστι πόλις Ἐφύρη,

id eſt, ἔσα ἐστιν. Atque obtinuit ferme, ut ἔστι hac ſignificatione primo loco collocaretur, qui maximam in omni oratione vim habet. Itaque ἔστι retracto accentu non loco, ſed ſignificationi debetur. Nam neque diceret quiſquam πόλις ἐστὶν Ἐφύρη, ſi hoc vellet, exſtare eam urbem, neque ἔστι πόλις Ἐφύρη, ſi Ephyram urbem eſſe, non regionem, vellet dicere.

Deinde in interrogatione dicitur ἔστι. Sed hoc quoque non aliter, niſi ſi per ἐστὶν ὄν, aut ſimile praedicatum explicari poteſt, ut τί δ' ἔστι; Id eſt, τί δ' ἔστιν ὄν. Itaque male in Electra Sophoclis v. 1346. ſcribitur

τίς ȣ̉τος ἔστ', ἀδελφέ;

quod ſcribi debet,

τίς ȣ̉τός ἐστ', ἀδελφέ;

Poterat enim interrogare, τίς ȣ̉τος; Contra v. 1353. quod legitur,

ὅδ' ἐστί,

ſcribendum eſt, ὅδ' ἔστι. Hoc enim dicit, *vere is ille eſt*; *ipſe eſt*. Nec poterat omitti verbum, niſi ſi diceret ὅδ' αὐτός. Ex quo clarum eſt, illud αὐτὸς in verbi ſignificatione ineſſe. In Oedipo Rege v. 739. male Brunkius edidit,

τί δ' ἔστι σοι τȣ̃τ', Οἰδίπȣς, ἐνθύμιον;

et in Aiace v. 740.

τί δ' ἔστι χρείας τῆσδ' ὑπεσπανισμένον;

Recte utroque in loco codd. et edd. vett. ἐστὶ praebent. Nihil enim niſi copula eſt, et poterat omitti.

Sequuntur haec, ἀλλ' ἔστι, εἰ ἔστι, καὶ ἔστι, μὴ ἔστιν, ȣ̉κ ἔστιν, ὡς ἔστι, τȣτέστιν, ὅτι ἔστι,

πȣ̃ ἐστιν. Horum omnium par ratio eſt. Nequaquam enim particulae iſtae cauſſam continent, quare ἔστι, non ἐστὶ, dicatur: ſed cauſſa haec eſt, quod ἔςι ſententiam inchoat, nec ſimpliciter copulae officio fungitur, ſed ſimul aliud complectitur praedicatum. Sophocles in Electra v. 1204.

ἀλλ᾽ ἔστιν εὔνȣν.

Id eſt, *vere favet*. Reſpondetur enim Oreſti, qui hoc dixerat,

ἐγὼ φράσαιμ᾽ ἄν, εἰ τὸ τῶνδ᾽ εὔνȣν πάρα.

Ἀλλ᾽ εὔνȣν ἐστὶ ſi diceret Electra, id ſimpliciter foret *favet*. Εἰ ἔστιν ȣ̃τος ſignificat, *ſi hic vere eſt, neque non eſt*. Quod ſi diceretur εἰ ȣ̃τός ἐστι, ſignificaretur, *ſi hic, non alius, eſt*. Καὶ ἔστιν ȣ̃τω ſignificat, *ac revera eſt, nec non eſt, ita*; καὶ ȣ̃τως ἐστὶν, *atque ita, non aliter eſt*. Atque καὶ ἔστι non ſemper, ſed tum demum pronunciari, quum ἔστι ſententiam inchoat, ideoque auctam habet ſignificationem, patet ex Odyſſeae VII. v. 69. ubi recte ſic legitur:

ὡς κείνη περὶ κῆρι τετίμηταί τε καὶ ἐστὶν.

Grammatici hic et in aliis locis ſcribendum cenſent πέρι κῆρι. Quod falſum eſſe, ἐςὶν arguit. Nam niſi iungas περὶ κῆρι ἐστὶν, quid tandem ſignificabit ἐςὶν? Δέδοικα μὴ ἔστιν ȣ̃τος, *vereor, ne non videatur hic eſſe, ſed vere ſit*: δέδοικα, μὴ ȣ̃τός ἐστι, *vereor, ne hic, non alius, ſit*.

Οὐκ ἔστι τȣ̃ργον τλητὸν,

in Aiace Sophoclis v. 466. *nullo pacto eſt illud tolerabile*. οὐ τλητόν ἐςι τȣ̃ργον, *intolerabile eſt*. Ὡς ἔστι δεινὸν τȣ̃το, *quam hoc eſt revera, nec ſpecie tantum, grave*. ὡς δεινόν ἐστι τȣ̃το, *quam hoc grave*. Et ſic, quidquid praeterea ὡς ſignificet.

Τὸ δεινόν, τοῦτ᾽ ἔστι κακόν, *grave*, *id est*, *seu significat*, *malum*. Quod si τὸ δεινὸν τοῦτ᾽ ἐστὶ κακὸν diceretur, id esset, *gravis haec res mala est*. Praeterea autem τοῦτ᾽ ἔστι etiam *hoc revera est* significat, ut in Nubibus Aristophanis v. 26.

τοῦτ᾽ ἔστι τοῦτο τὸ κακόν, ὅ μ᾽ ἀπολώλεκεν.

Sic recte Aldus edidit. Id est: *ecce tibi praesens illud malum, quod me perdidit*. Quod Brunk. edidit,

τοῦτ᾽ ἐστὶ τοῦτο τὸ κακόν, ὅ μ᾽ ἀπολώλεκεν,

id significat, *hoc illud malum est, quod me perdidit*. Ὅτι ἔστιν ἐκεῖ τις est, *revera adesse ibi aliquem*; ὅτι ἐκεῖ ἐστί τις, *ibi*, *non alibi*, *aliquem esse*. Ποῦ ἔστιν οὗτος, *ubinam est ille*, quae est vox dubitantis, an is, qui quaeritur, non reperiatur; ποῦ οὗτός ἐστιν, *ubinam ille est*, quod dicit is, qui de loco magis, quam de absentia eius, qui quaeritur, sollicitus est. Atque qui hisce particulis, post quas ἔστι accentum retrahat, μὲν addunt, eodem modo suam debebunt sententiam corrigere. Recte enim dicetur, εἰ μὲν ἔστι θεός, ἔστι καὶ εὐσέβεια. Ἔστιν enim hic est *exstat*. Sic εἰ μὲν ἔστι ταῦτα, id est, *si haec ita sunt*. Contra, καλὸς μέν ἐστιν οὗτος, ἄφρων δέ, dicendum esse, vel ex eo patet, quod ἐστὶν in his omitti potest. Tale illud est:

λόγος μέν ἐστ᾽ ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς.

Omnino enim vereor, ne grammatici exemplis iis, quae frequentissime occurrunt, adducti, rariora, in quibus non acuitur prima syllaba, praeterierint. Sic quod Sophocles in Oedipo Rege v. 296. dicit,

ᾧ μή ᾽στι δρῶντι τάρβος, οὐδ᾽ ἔπος φοβεῖ,

recte sic scriptum in MSS. et edd. non μὴ 'στι. Nam inepte diceretur, ὦ μὴ ἔστι δρῶντι τάρβος, ἐδ᾽ ἔπος φοβεῖ. Contrario modo peccatum videtur in Aiace v. 778.

ἀλλ᾽ εἴπερ ἔστι τῇδε θἠμέρᾳ, τάχ᾽ ἂν
γενοίμεθ᾽ αὐτῷ σὺν θεῷ σωτήριοι.

Ἔστιν enim hic *vivit* significat, ut necessario maiore quadam cum vi pronunciandum sit.

Porro illa, ἔστιν ὃς, ἔστιν ὅτε, ὅπε, ὡς, ἔστι μέν, ἔστι δέ, et similia, eiusdem conditionis sunt, ut superiora. In his omnibus enim formulis ἔστι non est simpliciter copula, sed adiunctum habet praedicatum, et significat nunc *exstat*, nunc *revera est*, nunc *licet*.

Etenim quum haec omnia, quae hactenus commemorata fuerunt, exempla ἔστι propterea in prima syllaba acutum habeant, quia non sola copula eo verbo, sed aliquod aliud insuper praedicatum contineatur, quis non putabit consentaneum esse, ut, ubi hoc verbum pro ἔξεστιν adhibetur, eodem modo debeat accentum retrahere? Neque enim minus absonum videtur, aucta verbi significatione debilem manere tenorem, quam si μοῦ, μοί, μέ encliticae ad oppositionem personarum adhiberentur. Equidem, quantumnis taceant grammatici, numquam de hac re mihi persuadebo: sed sicut in Aiace v. 470. legitur,

ἐκ ἔστι ταῦτα,

ita in Homero Iliad. XIV. 313. scribendum puto,

Ἥρη, κεῖσε μὲν ἔστι καὶ ὕστερον ὁρμηθῆναι,

et in Iliad. XV. 556.

ἀλλ᾽ ἕπευ ἐ γὰρ ἔτ᾽ ἔστιν ἀποσταδὸν Ἀργείοισι
μάρνασθαι,

atque eodem modo in aliis innumeris veterum scriptorum locis.

Possit fortasse aliquis etiam in hanc suspicionem incidere, reliquas verbi εἰμὶ personas encliticas, quas enumerant Apollonius de Syntaxi p. 261. Herodianus p. 224. b. Charax p. 227. b. Choeroboscus p. 229. b. incertus grammaticus p. 230. b. 231. a. Aelius p. 232. a. b. Eustathius ad Odyss. III. p. 1457, 43. et ad VIII. p. 1600, 13. iisdem omnibus regulis, quae in tertia persona singularis numeri observantur, obnoxias esse. Sed quum neque grammatici de ea re quidquam praeceperint, nec satis idoneae videantur caussae ad eam suspicionem firmandam afferri posse, tutius esse arbitror, in his pariter atque in verbo φημί, nunc depositionem accentus, ubi ea locum habet, adhibere, nunc, ubi verbi significatio depositionem accentus prohibet, eum retinere in ultima syllaba. Neque enim mirum est, si tertia persona singularis numeri ἐστὶν aliquantum a caeteris personis pronunciatione differt, quia tam frequens eius et multiplex usus est, ut non potuerit non maiorem quamdam sibi libertatem vindicare.

Cap. XIX.

De accentu interrogationis.

Dictiones encliticae, ut in verbo ἔστι vidimus, non deponunt accentum aucta vi significationis. Itaque quae encliticae interrogationis significationem recipiunt, ea significatione retinent accentum, reiiciuntque in priorem syllabam, si bisyllabae sunt, ut πότε, πόθι, πόθεν, τίνες, cuius pronominis

nominativus hactenus quidem unica dictio fuit, quae etiam in continuatione orationis acutum in ultima syllaba servaret. In quam rem tria tantum grammaticorum testimonia sibi reperta dicit Reizius, Apollonii de Synt. lib. II. p. 139. Characis p. 227. a. extrema et incerti auctoris p. 230. a. extrema et seq. His ego alium locum addam grammatici MS. περὶ τόνων, qui haec habet: τὸ ἱνατί, διατί καὶ ἐν τῇ συνεπεία ὀξύνονται. Apollonii locus mea quidem sententia de obliquis casibus huius pronominis intelligi debet. Verba Apollonii haec sunt: καὶ ἔνθεν δείκνυται, ὅτι τὸ τὶς ἀοριστούμενον μᾶλλον ὀξύτονόν ἐστι· πευστικὸν δὲ καθεστώς, τῷ λόγῳ τῆς ἀρχούσης βαρύνεται. In his Reizius pro βαρύνεται legi volebat ὀξύνεται ex Charace, qui haec habet: καὶ τὸ τίς τῷ λόγῳ τῆς ἀρχούσης ἔχει τὴν ὀξεῖαν. ὅθεν οὐ κοιμίζεται ἐν τῇ συνεχείᾳ. τίς ἦλθε. Sed quantumuis docta atque subtilis Reizii disputatio sit, non puto tamen ea hoc effici, ut βαρύνεται mutari debeat. Nam quod ait, nolle Apollonium ostendere, cur casus obliqui pronominis τὶς nunc acuantur, nunc graventur, quia id iam pro regula posuerit, interrogativa gravari, infinita autem acui, in eo videtur Apollonii mentem non satis assequutus esse. Apollonius τὶς exempli caussa commemorat, ut regulam istam illustret. Sic enim loquitur: τὰ πύσματα οὐκ ἔστιν ἐγκλιτικά, διὰ τὸ βαρύνεσθαι· τά γε μὴν παρακείμενα αὐτοῖς ἀόριστα. ἐπεὶ μᾶλλον ἐν τῷ τέλει ἔσχε τὴν ὀξεῖαν. Οὐ τοῦτο δέ φημι, ὅτι τὰ ἀόριστα μόνως ἐγκλιτικά ἐστιν· ἀλλ' εἴ τι τῶν τοιούτων μορίων ἐγκλιτικόν ἐστι, τοῦτο καὶ ἀόριστόν ἐστιν, ὡς τό, ἦλθέ τις, ἦλθέ ποτε. καὶ ἔνθεν δείκνυται, ὅτι τὸ τὶς ἀοριστούμενον μᾶλλον ὀξύτονόν ἐστι· πευστικὸν δὲ καθεστώς, τῷ λόγῳ τῆς ἀρχούσης βαρύνεται. Haec ergo videtur Apollonii ratiocinatio esse: interroga-

tiva non esse enclitica, quia graventur: sed cognata illis infinita esse enclitica, quia acuantur; inde autem non consequi, quaecumque infinita sint, enclitica esse; sed contra, quae enclitica sint, necessario esse infinita; ex his apparere, quare τὶς infinitum acuatur. Nimirum si encliticum est, est etiam infinitum; si autem infinitum est, ultima syllaba accentum habere debet. Vide p. 138. extrema et p. 261. l. 8. Contra τίς interrogativum gravari, et quidem τῷ λόγῳ τῆς ἀρχούσης, i. e. quia praeire soleat in constructione. Is λόγος τῆς ἀρχούσης idem est, quo ἐστι in principio constructionis gravatur. Minime omnium autem in his haerere debebat Reizius, μᾶλλον ὀξύτονόν ἐστι. Neque enim μᾶλλον ad ὀξύτονον pertinet, sed ad universam sententiam. Sic paullo ante dixerat, ἐπεὶ μᾶλλον ἐν τῷ τέλει ἔσχε τὴν ὀξεῖαν. Atque illa ipsa verba, μᾶλλον ὀξύτονόν ἐστι, requirunt, ut deinde non ὀξύνεται, sed βαρύνεται sequatur, clareque ostendunt de obliquis casibus loqui Apollonium. Nec possunt impedimento esse Characis verba: καὶ τὸ τὶς τῷ λόγῳ τῆς ἀρχούσης ἔχει τὴν ὀξεῖαν· ὅθεν οὐ κοιμίζεται ἐν τῇ συνεχείᾳ. Vere sane Reizius, *non satis video*, inquit, *ut ex principatu, quem illud in construendo tenet, ipsius acuendi necessitas exsistat: sed consuetudo linguae potuit hanc necessitatem inducere.* Scilicet Charax aliquanto negligentior fuit Apollonio. Quem enim hic λόγον τῆς ἀρχούσης vocat, is eo tantum spectat, ut ne amittat accentum dictio enclitica, si in principio collocetur. Vide Apollonium p. 149. Sed quod addit Charax, ὅθεν οὐ κοιμίζεται ἐν τῇ συνεχείᾳ, nullo pacto inde poterit colligi. Immo si iste λόγος τῆς ἀρχούσης acuendi τὶς necessitatem afferret, τὶς ἦλθε scribendum foret, ut σὲ λέγω dicitur. Vtcumque ista se habeant, verissime

equidem a grammaticis traditum arbitror, τὶς interrogativum etiam in continuata oratione acuto, non gravi accentu scribendum esse, in quam sententiam Reizius inclinabat. Nam quum gravis in ultimis verborum syllabis, ubi continuatur constructio, eo fine collocetur, ut fracta debilitataque vi acuti, qui in istis locis proprie est, commodius et lenius decurrant orationis numeris: facile patet, si interrogativum τὶς gravi accentu pronuncietur, quidvis aliud magis, quam interrogationem eo expressum iri. Proprium enim hoc est interrogationis, ut vehementius vocem impellat, quod ubi non potest fieri, nisi ultima syllaba acuenda, acui ea debebit. Scilicet est quidam peculiaris accentus, quo interrogamus, qui ab eo accentu, quo extra interrogationem utimur, est diversissimus. Id ex eo cognoscitur, quod etiam mediae verborum syllabae, quae acutum habent absque interrogatione, in interrogatione vehementius pronunciantur, ut quum λέγω dicentem interrogamus λέγεις; Itaque in omni interrogatione ad eum, qui cuiusque verbi proprius accentus est, alius accedit accentus interrogationis, qui ubi incidit in syllabas etiam sine interrogatione acuto notari solitas, non exprimitur peculiari signo; sin autem in dictiones incidit aut carentes accentu communi, aut eum consopitum habentes, merito obtinuit, ut accentus interrogationis, quippe qui potior sit, scriptura exprimatur. Quod si, ut par est, accurate accentus notare volumus, non in solo pronomine τὶς, sed in aliis omnibus oxytonis acutum scribemus, ubi ea sunt in interrogatione. Cauendum est autem in hoc genere, ne quis aliud vocabulum, quam quod in quoque loco accentum istum interrogationis habet, acuendum esse censeat. Etenim in unaquaque interrogatione unum dumtaxat verbum est, in

quo iſte accentus, qui ad interrogationem ſignificandam adhibetur, collocari queat. Eſt enim in eo verbo, quod rem, de qua interrogatur, indicat. Sic in his, σὺ Πλῦτος εἶ; triplex poteſt interrogatio eſſe; prima, σύ Πλῦτος εἶ; *tune Plutus es, an alius eſt Plutus?* ubi acui σύ oportet; ſecunda, σὺ Πλῦτος εἶ; *Plutusne, an alius es?* ubi Πλῦτος accentum interrogationis habet; tertia, σὺ Πλῦτος εἶ; *esne tu Plutus, an videris eſſe, neque es?* ubi εἶ accentu interrogationis erigitur. Illud in hoc genere non eſt praetereundum, ubi particulae addantur natura ſua interrogationem exprimentes, interrogationis accentum ab reliquis verbis abeſſe, atque in ſolis his particulis collocari, ut quod apud Sophoclem Electra Oreſten interrogat,

ἦ γὰρ σὺ κεῖνος;

Ibi ſi ἦ abeſſet, σὺ accentum interrogationis habiturum foret, σύ γὰρ κεῖνος; Sed redeo ad pronomen τίς. Id ſi in interrogatione notaretur gravi accentu, *aliquis*, non *quis*, ſignificaturum eſſet; ut in his exemplis, τὶ τῦτων λέγεις; *an aliquid horum dicis?* τὶς ἦλθε; *quisquamne venit?* Sed perraro τὶς ita collocatur. Nam Graeci ſermonis conſuetudo poſtulat, ut in talibus formulis non pronomen τίς, ſed verbum ei additum pronuncietur cum accentu interrogationis. Sic in extremo Oedipo Rege Oedipus interrogat, λέγω τι; Quod ſi τὶ accentum interrogationis haberet, Creon deberet reſpondere λέγεις τί. Atqui reſpondet ille, λέγεις. Non eſt hic praetereundus Pindari locus in principio Pyth. X.

ὀλβία Λακεδαίμον,
μάκαιρα Θεσσαλία·
πατρὸς δ' ἀμφοτέραις ἐξ ἑνὸς

ἀριστομάχε γένος Ἡρακλέος βασιλεύει.
τί κομπέω παρὰ καιρόν; ἀλλά με Πυ-
θώ τε καὶ τὸ Πελινναῖον ἀπύει,
Ἀλεύα τε παῖδες, Ἱπποκλέᾳ θέλοντες
ἀγαγεῖν ἐπικωμίαν
ἀνδρῶν κλυτὰν ὄπα.

In his verba, τί κομπέω παρὰ καιρόν, quoniam cum reliquis quodammodo pugnare videntur, magnam creaverunt interpretibus molestiam. Quod si Pindarum insolentiore constructione, τὶ κομπέω παρὰ καιρόν; scripsisse censeamus, liberabitur locus illa obscuritate. Hoc enim dicetur: *quidquamne temere praedico*? Eodem modo loquitur Sophocles in Trachiniis v. 865.

τί φημι;

Quae verba male vertuntur, *quid dicam*? Quod dicendum fuisset τί φῶ; Τὶ, quod hic propter sequentem dictionem encliticam acuitur, non est *quidnam*, sed *aliquid*. Id enim interrogat chorus, verumne dixerit, ut in Oedipode Rege v. 1475.

λέγω τι;

Aliud exemplum in Choephoris Aeschyli est, v. 112.

τίν' ἂν ἔτ' ἄλλον τῇδε προστιθῶ στάσει;

ubi quae praecedunt, *aliquem*, non *quemnam*, intelligi ostendunt. Idque si solutis numeris diceretur, sic foret dicendum, τινὰ ἂν ἔτι ἄλλον προστιθῶ; In eadem fabula v. 630.

τίς ἔνδον, ὦ παῖ, παῖ, μάλ' αὖθις, ἐν δόμοις;

Ibi manifesto interrogat Orestes, an aliquis intus sit, non quis sit intus.

CAP. XX.

De dictionibus procliticis.

Sed praeter encliticas aliud genus dictionum exſtat accentum ſuum deponentium, quas procliticas nominare placet, quia accentum non in praecedente, ſed in ſequente vocabulo deponunt. Non ſum neſcius, me rem novam ac prorſus inauditam proferre: ſed intelligentes harum rerum iudices facile in meam tranſituros ſententiam ſpero, ſi eam non ſolum univerſae accentuum rationi, ſed veterum etiam, ac nominatim Ariſtotelis atque Apollonii Dyscoli teſtimoniis conſentaneam eſſe oſtendero. Dictiones illae, de quibus loquor, hae ſunt, ὁ, ἡ, οἱ, αἱ, εἰς, ἐξ, ἐν, οὐ, ὡς, εἰ, quibus deinde alias quasdam addi debere demonſtrabo. Hae quidem, quas enumeravi, quare ſine accentu ſcriberentur, Reizius, diligentiſſimus iſtarum rerum perſcrutator, hanc rationem eſſe cenſebat, quod natura ſua gravem accentum haberent, is autem adſcribi non ſoleret, niſi ubi depoſiti acuti loco eſſet. Atqui ſupra iam oſtendimus, gravem iſtum, quem vocant, accentum nullum eſſe. Itaque hunc ſi iſtae dictiones haberent, carerent accentu, quod ipſe Reizius fieri poſſe negat. Nulla enim vox accentu deſtitui poteſt, quo ſi vacua eſſet, ex omni numero orationis eximeretur. Quare quae dictiones nullo accentu notantur, eae accentum ſuum tradunt aliis finitimis dictionibus, quo facto cum iis quaſi in unam vocem coaleſcunt. Atqui iſtae dictiones, quas enumeravi, non deponunt accentum ſuum in praecedente vocabulo. Nam neque erigitur praecedentium vocabulorum tenor, et ſaepe ne praecedit quidem omnino quidquam. Neceſſe eſt

ergo, ut accentum ſuum ad ſequentia vocabula transmittant, qui quidem in his non adſcribitur, propterea quod fines tantummodo vocabulorum notari accentu ſolent. Hoc ita eſſe, uti dixi, etiam aliis argumentis cognoſcitur. Primum enim quemadmodum dictiones encliticae ſequi alias voces et cum iis quaſi coaleſcere ſolent, ita hae dictiones, quas procliticas vocamus, natura ſua praecedunt, ut ὁ ἀνήρ, et ἡ ναῦς, et quaſi in unam vocem cum ſequente coniunguntur. Quod clarius etiam ex iis dictionibus apparet, in quibus coniunctionem iſtam ſcriptura exprimere mos eſt. Nam ut in encliticis ὅστις, καίπερ et ſimilia ſcribuntur, ita in procliticis occurrunt, ὡσεί, ὡσάν, ὡσανεί, εἰσαεί. Deinde ſicuti dictiones encliticae, quum inchoant conſtructionem, accentum recuperant, quia nulla dictio, in qua eum deponant, praecedit, ita etiam procliticae dictiones, ſi finiunt orationem, accentu notantur, quia nullum ſequitur vocabulum, quod accentum earum poſſit recipere, ut in his:

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὥς.

Aut in media etiam oratione, ſi eiusmodi dictio non cohaeret cum ſequente, ut καὶ οὔ φησιν, quod non eſt *non dicit* ſeu *negat*, ſed *dicit non*. Denique encliticae dictiones, aucta mutatave earum ſignificatione, retinent accentum: quod ipſum etiam in procliticis cernere licet. Sic ὥς dicitur, quum ſignificat *ſic*. Alia exempla infra commemorabo.

Quod ſi hoc vere contendimus, voculas illas, quae ſine accentu ſcribi ſolent, non deſtitui accentu, ſed eum deponere in ſequenti dictione: lucem accipient loci illi veterum, in quibus vel gravari iſtae dictiones, vel acui dicuntur. Atque gravari quidem praepoſitiones et coniunctionem ἀλλὰ con-

tendit Gaza, quum aliis in locis, tum maxime in eo, ubi de accentu praepositionum agit, lib. III. p. 181. Rationem autem his verbis reddit: *δῆλον δὲ τὸ τὰς προθέσεις βαρύνεσθαι ἐκ τοῦ ἐπ᾽ ἐμοί· εἰ γὰρ ὠξυτονεῖτο, μετεφέρετ᾽ ἂν ἐπὶ τὸ ε ἡ ὀξεῖα, ὥσπερ κἀπὶ τοῦ, ἕπτ᾽, ἀτὰρ ὀγδοάτην.* Cui si respondeamus, praepositiones, quae vocali finiantur eamque abiiciant per apostrophum, aut eiusdem conditionis coniunctiones, veluti *ἀλλά, οὐδέ, μηδέ*, ea vocali abiecta fieri procliticas, propterea quod ipsa natura sua ad sequentia verba pertineant, satis puto argumenti dixerimus ad opinionem, quae per se inepta est, refellendam. Etenim si istae dictiones, ut Gazae placet, gravarentur, id est, si non alium, quam gravem, quem grammatici vocant, accentum haberent, nullo omnino erigerentur accentu, quod fieri non posse per se patet. Quae quum ita sint, neeessario vera erit illorum sententia, qui istas dictiones omnes, quae sine accentu scribuntur, acutas esse dieunt. Atque in hanc rem magnos testes advocavit Reizius, Aristotelem, qui *de Soph. El.* c. 4. §. 8. sic scribit. *οἷον καὶ τὸν Ὅμηρον ἔνιοι διορθοῦνται πρὸς τοὺς ἐλέγχοντας, ὡς ἀτόπως εἰρηκότα, τὸ μὲν οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ. λύουσι γὰρ αὐτὸ τῇ προσῳδίᾳ, λέγοντες τὸ οὐ ὀξύτερον;* et c. 21. §. 2. *ὡς δὲ λυτέον, δῆλον. οὐ γὰρ ταὐτὸ σημαίνει, τὸ μέν, (οὐ καταλύεις) ὀξύτερον, τὸ δέ, (οὗ καταλύεις) βαρύτερον ῥηθέν:* et Apollonium Dyscolum, qui in lib. IV. c. 2. p. 303, 30. de praepositionibus disputans, *ἁπάσαις*, inquit, *παρεπόμενόν ἐστι τὸ ὀξύνεσθαι, τῶν ἄλλων μερῶν τοῦ λόγου ποικιλωτέρων ὄντων. οὐ γὰρ τὸ μεταπίπτον τῆς τάσεως εἰς τὸν αὐτὸν εὐθετισμὸν ὑπῆρχεν, ὅς γε καὶ παρηκολούθει ταῖς προθέσεσι. διὰ τοῦτο καὶ ἐπεκτεινόμεναι συνέλκουσι κατὰ τὸ τέλος τὴν ὀξεῖαν, ὡς ἔχει ἡ ἐνί, καὶ ἡ*

προτί. διὰ τȣ̃το οὐδ' οἱ περὶ τὸν Ἀριςοφάνην ἠξίωσαν βαρύνεσθαι τὰ μόρια κατὰ τὴν Αἰολίδα διάλεκτον, ἵνα τὴ μὴ ἴδιον τῆς προθέσεως ἀποστήσωσι, λέγω τὴν ἀναστροφήν. Idem tradere Apollonium alio in loco, ad Reizium adnotavit Wolfius. De eo loco mox dicam. Grammaticus MS. περὶ τόνων: πᾶσα πρόθεσις ὀξύνεται. ἐν δὲ τῇ συνεπείᾳ βαρύνονται αἱ δισύλλαβοι, οἷον, ἀνὰ τὴν πόλιν, κατὰ τὴν πόλιν· καὶ τῶν μονοσυλλάβων αἱ ἀπὸ συμφώνȣ ἀρχόμεναι, οἷον, πρὸς τὴν πόλιν ἀπέρχομαι, πρὸ τῶν ἄλλων πορεύομαι. ἐν δὲ ταῖς συνθέσεσι πᾶσαι αἱ προθέσεις ἀποβάλλȣσι τὸν τόνον. σύνθεσις δέ ἐστιν, ὅταν ἡ πρόθεσις μεθ' ἑτέρας λέξεως ἓν μέρος λόγȣ γένηται, οἷον, περιβολή, ἀναβαίνω, καταβαίνω. ἐὰν δὲ ἐπάγωνται τοῖς ὀνόμασιν αἱ δισύλλαβοι, ἀναβιβάζȣσι τὸν τόνον, οἷον, τȣ̃ θεȣ̃ μȣ̃ ὕπο εὐεργετȣ̃μαι, τȣ̃ φίλȣ μȣ̃ πέρι λαλῶ, καὶ τὰ τοιαῦτα. Idem: ὁ μέν, δέ, τέ, καί, ἐπεί, ἐπειδή, καὶ ὁ ἀλλὰ ὀξύνονται, καὶ ἐν τῇ συνεπείᾳ βαρύνονται. Idem: τὸ εἴ τε παροξύνεται. ἐν δὲ τῇ συνεπείᾳ τόνον ȣ̓ δέχεται, εἰ θέλεις, εἰ βȣ́λει. Afferam nunc locum Apollonii, cuius paullo ante facta eſt mentio. Nam quae hactenus commemoravi, illuſtrant rem; hic, ſpero, conficiet. Sic igitur Apollonius p. 327, 8. de adverbio εἰς ὅ disputans: ἄμεινον ἐκδέξασθαι, ὡς ἐκ τῆς παραθέσεως προθετικῆς καὶ ἀρθρικῆς συντάξεως παρυφίστατο χρονικὴ σύνταξις τῶν λέξεων κατὰ τὴν ȣ̓̃σαν παράθεσιν τὰ παρεπόμενα αὐταῖς ἀναδεξαμένων. ἐνεκλίνετο γὰρ ἡ πρόθεσις ἐξ ὀξείας τάξεως εἰς παράθεσιν παραλαμβανομένη, ὅπερ παρεπόμενόν ἐστι πάσῃ προθέσει· μόριόν τε τὸ ὃ ὠξύνετο μετὰ τȣ̃ συνόντος πνεύματος· ὃ παρεπόμενον ἦν πάσῃ λέξει ȣ̓κ ἐχȣ́σῃ μετ' αὐτῆς (male legitur πρὸ αὐτῆς) ἑτέραν λέξιν. τȣ̃το δέ φημι, ἐπεὶ πᾶσαι αἱ ὀξύτονοι ἐκφοραί, ἐν παραθέ-

σει οὖσαι ἑτέρων λέξεων, εἰς βαρεῖαν μετατίθενται, ὡς ἐν τῷ, ἡ μὴ μητρυιή, καὶ τοῖς ὁμοίοις. Nimirum quid hic dicit aliud, quam praepoſitiones, natura ſua acutas, inclinare accentum, ac deponere in ſequente vocabulo? Nec ſane eſt, quod quis miretur, negligentiores ferme in hac re adnotanda fuiſſe grammaticos. Etenim de dictionibus encliticis ut copioſius praeciperent, eo cogebantur, quod iſtae dictiones plerumque in praecedentibus verbis aut novos inducerent accentus, aut conſopitos excitarent. De his autem dictionibus, quae accentum ſuum ad ſequentia vocabula transmittunt, praeter hoc ipſum, transmitti ad ea accentum, nihil habebant, quod adnotare poſſent, quandoquidem depoſitus accentus non ſoleret ſcriptura exprimi.

Quod ſupra dixi, praepoſitiones, quae in vocalem exeant, eamque per apoſtrophum ſoleant abiicere, et quaedam adverbia, quorum eadem conditio ſit, abiecta iſta vocali adnumerari debere dictionibus procliticis, id ita eſſe quum ex ipſa iſtorum vocabulorum natura poteſt intelligi, tum etiam encliticarum dictionum comparatione confirmatur. Primum enim quoniam praepoſitiones atque adverbia iſta neceſſario ad ſequentia vocabula pertinent, conſentaneum eſt, ſi ea ſyllaba, quae accentum habet, propter ſequens vocabulum elidatur, ipſum quoque accentum perire: qui ſi non periret, id indicio foret, praepoſitionem vel adverbium, ut alias orationis partes, per ſe conſtare, nec cohaerere cum ſequentibus. Quare miror Reizium ἀλλ᾽ ἐγώ, non ἄλλ᾽ ἐγω, propterea dici exiſtimaſſe, quia ἄλλ᾽ ἐγὼ ambiguum futurum eſſet. Nam quum omnino temere iactantur iſtae ambiguitates, quippe facile ex ipſa ſententia ſol-

vendae, ut in ὅτι et Latino *quod*, in ἄνα, quod et *ſurge* eſt et *rex*, tum vero, ſi ambiguitatis vitandae cauſſa non ſcribitur ἄλλ᾽ ἐγώ, quid tandem eſt, quare οὐδ᾽ ἐγώ, μηδ᾽ ἐγώ, et alia ſcribantur? Manifeſte hoc fit propterea, quia dictio accentum amittens natura ſua cum ſequentibus arctiſſime cohaeret. Eoque ſimile eſt hoc genus dictionum procliticarum encliticis iis, quae breviores factae accentum deponunt, ut ῥά, et αὐτόν. Nam in hoc quoque pronomine, ut ſupra obſervatum eſt, Charax eos caſus, qui ultimam ſyllabam producunt, inepte contendit accentum propterea non retrahere, ne iſti caſus cum Aeolicis formis conſpirent.

Cap. XXI.

De anaſtrophe.

Sed dicam nunc breviter de conditionibus, quibus dictiones procliticae accentum recuperant. Eae conditiones, ut in encliticis, duae ſunt, ordo, quo in conſtructione collocantur, et ſignificationis mutatio.

Atque ad ordinem quod attinet, clarum eſt, dictiones, quae natura ſua ad ſequentia verba pertinent, ideoque his accentum ſuum tradunt, ſi quando poſt ea verba collocantur, accentum recuperare debere, quia iam eum ad ſequentia transmittere nequeunt. Sic in illo eſt,

θεὸς ὣς τίετο δήμῳ.

Et apud Pindarum Olymp. VII. 86.

καὶ τοὶ γὰρ αἰθῶσας ἔχοντες
σπέρμ᾽ ἀνέβαν φλογὸς ὄ.

In quibusdam exemplis hoc grammaticorum negligentia praeteriit, ut in hoc Iliad. V. 64.

ἐπεὶ ὄτι θεῶν ἐκ θέσφατα ᾔδη.

IX. 641.

πληθύος ἐκ Δαναῶν,

XXIV. 743.

ὀ γάρ μοι θνήσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας.

Odyſſ. I. 220.

τῶ μ᾽ ἐκ φασι γενέσθαι.

Recte vero ex quorumdam ſententia Brunkius in Theocrito XXII. 30. ſcripſit,

ἔνθα μιᾶς πολλοὶ κατὰ κλίμακος ἀμφοτέρων ἐξ
τοίχων ἄνδρες ἔβαινον Ἰησονίης ἀπὸ νηός.

et XXV. 38.

ἐπεὶ ὀ σέ γέ φημι κακῶν ἐξ
ἔμμεναι.

Melius etiam acutum pro gravi ſcripſiſſet, ut in fine verſus. Solent quidem in huiuscemodi exemplis omiſſioni tenoris excuſationem a tmeſi repetere grammatici: ſed id quo iure faciant, infra disputabitur.

Sequuntur dictiones procliticae duabus ſyllabis conſtantes, quae quidem poſſint poſt id verbum poni, quocum conſtruuntur. Hae autem ſunt praepoſitiones. Quae quum de more ante id verbum, quocum coniungendae ſunt, collocari ſoleant, conſentaneum eſt, ut, ſi quando poſt id verbum collocentur, accentum in priorem ſyllabam retrahant, quo ipſa pronunciatio oſtendat, ad quodnam referendae vocabulum ſint. Eam grammatici anaſtrophen dixere. Iliad. V. 824.

γιγνώσκω γὰρ Ἄρηα μάχην ἄνα κοιρανέοντα.

Aeſchylus In Choephoris v. 653.

τρίτον τόδ' ἐκπέραμα δωμάτων καλῶ,
εἴπερ φιλόξεν' ἐστὶν Αἰγίσθου δία.

Ita hic locus, cuius veram lectionem non aſſequutus eſt Porſonus in praefatione ad Hecubam, e cod. Guelferbytano ſcribendus eſt.

At ἀνὰ et διὰ anaſtrophen admittere vulgo negant. Audio: ſed cauſſam requiro. At enim tanta eſt grammaticorum in hoc genere inconſtantia, ut, ſi in quibusdam rebus ipſi decreta ſua evertunt, omnino iis nulla fides haberi poſſe videatur. Supra e grammatico MS. περὶ τόνων locum attuli, in quo is nulla notata exceptione praepoſitionibus biſyllabis anaſtrophen tribuit: ἐὰν δὲ ἐπάγωνται τοῖς ὀνόμασιν αἱ δισύλλαβοι, ἀναβιβάζουσι τὸν τόνον, οἷον, τοῦ θεοῦ μου ὕπο εὐεργετοῦμαι, τοῦ φίλου μου πέρι λαλῶ, καὶ τὰ τοιαῦτα. Contra Apollonius de Syntaxi p. 304. 22. ἀλλ' οὐ πᾶσαι, inquit, ἀναστρέφονται· (οὐδὲ γὰρ πᾶσα ἀντωνυμία καὶ ἐγκλίνεται, καὶ ὀρθοτονεῖται) ἀλλ' ἐπὶ τὸ πλέον ταύταις παρέπεται. Etymologus M. p. 123. 24. ἰστέον, inquit, ὅτι ἐκ τῶν δισυλλάβων προθέσεων πέντε οὐκ ἀναστρέφονται· αἱ δὲ λοιπαὶ ἀναστρέφονται. οὐκ ἀναστρέφονται ἡ ἀνά, ἡ διά, ἡ κατά, ἡ ἀμφί, καὶ ἡ περί. At mox eodem in loco duae commemorantur ex his, περὶ et κατά, admittentes anaſtrophen, quam in iisdem agnoſcit Apollonius Dyscolus p. 303. In Etymologico quae leguntur, haec ſunt: ἄλλως. ἡνίκα μεταξὺ δύο ὀνομάτων κυρίων ἢ προσηγορικῶν εὑρεθῶσι, συνδεσμῷ περιλαμβανόμεναι, τότε ἀναστρέφονται αἱ προθέσεις; ὡς τό,

νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων.

ἡνίκα δὲ μεταξὺ δύο ὀνομάτων, τȢ μὲν κυρίȣ ὄντος, τȢ δὲ προσηγορικȢ, ἐν τȣ́τοις πᾶσιν ἀναστρέφεσθαι δεῖ τὴν πρόθεσιν. ἡ δὲ κατά πρόθεσις ἀναστρέφεται, ἡνίκα ὑποτάττεται λέξει, μεθ᾽ ἧς τινὸς ὀφείλει συντάττεσθαι, μὴ παρατιθεμένης ἐν τῷ μέσῳ οἱασδήποτε λέξεως, ὡς ἐν τῷ,

ξύλοχον κάτα βοσκομενάων.

Αἱ ἀναστρεφόμεναι προθέσεις, ὅτε μεταξὺ β κυρίων ἢ προσηγορικῶν εὑρεθῶσι, συνδεσμῷ παραλήγȣσι μετὰ τὴν πρόθεσιν· (male hunc locum interpolavit Sylburgius: hoc dicit grammaticus, quae praepositiones inter duo nomina collocatae anastrophen patiantur, praecedere coniunctioni.) οἷον,

νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων·

Ἀγαμέμνονος πέρι καὶ Ἀχιλῆος· καὶ ἐὰν μεταξὺ δύο ὀνομάτων πρόθεσις ᾖ, οἷον,

μάχῃ ἔνι κυδιανείρῃ.

ἀπὸ ἧς αἰσχȣ, ȣ̓κ ἀναστρέφεται, ἐπειδὴ ἡ ἀπό πρόθεσις συνταστομένη μετάγεται, καὶ τὸν οἰκεῖον τόνον τηρεῖ· ὡς ἐν τῷ,

φίλης ἀπὸ πατρίδος αἴης.

Afferam hunc quoque locum, uti in libro MS. legitur: ἰστέον ὅτι ἀναστρέφονται αἱ δισύλλαβαι προθέσεις, μεταξὺ κυρίων, ἢ προσηγορικῶν, ἢ κυρίων καὶ προσηγορικῶν εὑρισκομένȣ συνδεσμȣ̃·

νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων.

ἡ δὲ κατά, ἡνίκα ὑποτάττεται λέξει, μεθ᾽ ἧς ὀφείλει συντάσσεσθαι ȣ̓κ ἐν τῷ μέσῳ, οἷον,

ξύλοχον κάτα βοσκομενάων.

ἡ ἀπό φυλάσσει τὸν τόνον,

φίλης ἀπὸ πατρίδος

καὶ ἐν τῷ μέσῳ οἶμαι. In margine eiusdem libri

adnotatum: ἐ ἐκ ἀναστρέφονται. ἡ διὰ καὶ ἀνὰ οὐκ ἀναστρέφονται.

Ἀμφι scribitur in Etymologico p. 406, 14. in his verbis Apollonii Rhodii e II. 811.

δαῖτ' ἄμφι πανήμεροι εἰψιόωντο.

Sed facile credam hunc accentum imperitis librariis deberi. Nam scholiastes Venetus ad Iliad. XVII. 322. οὐκ ἀναστρέφεται δὲ ἡ διά, ἵνα μὴ συνεμπέσῃ τῇ Δία αἰτιατικῇ. ἡ δὲ ἀντὶ καὶ ἀμφί, ὡς τρίχρονοι. Apollonius de syntaxi lib. IV. cap. 2. p. 304. διὰ τοῦτο οὐδ' οἱ περὶ τὸν Ἀριστοφάνην ἠξίωσαν βαρύνεσθαι τὰ μόρια κατὰ τὴν Αἰολίδα διάλεκτον, ἵνα μὴ τὸ ἴδιον τῆς προθέσεως ἀποστήσωσι, λέγω τὴν ἀναστροφήν. εἰ γὰρ ἐβαρύνθησαν, ἀνθελκόμεναι ὑπὸ τῆς τοῦ ῥήματος συντάξεως ἢ τοῦ ὀνόματος, ἐζήτησαν τὸ ἀμεῖψαι τὸν τόνον καθ' ἃς εἴπομεν αἰτίας. διὰ τοῦτο καὶ κατ' ἀρχὴν καὶ κατὰ τέλος βραχεῖαι. ὁ γὰρ βραχὺς χρόνος εὐμετάθετος κατὰ πᾶσιν· ὅπου γε καὶ ἡ Αἰολίς, μετατιθεῖσα τοὺς τόνους τοὺς κατὰ τὸ τέλος, εἰς βραχείας συλλαβὰς μετατίθησι κατὰ τὸ πλέον. πλεονάσασαι οὖν χρόνῳ, ἐλλείπουσι καὶ τῇ ἀναστροφῇ· ὡς ἡ καταί, ὑπαί, καὶ αἱ τοιαῦται. Haec quidem satis idonea caussa est, quare praepositiones trium morarum non patiantur anastrophen. Itaque in Apollonii Rhodii versu ἀμφὶ restitui debebit. Neque in supra allato Aeschyli versu recte scriptum in cod. Guelf. δίαι, quod διαί scribi debebat, si hac forma ibi usus est Aeschylus. Sed illud tamen iure mihi videor contendere posse, si quando praepositiones ἀντὶ et ἀμφί, ubi vel per anastrophen post suum verbum collocantur, vel eo verbo omnino destituuntur, ultimam vocalem per apostrophum amittant, eas retracto in primam syllabam accentu ἄντ' et ἄμφ' oportere scribi. Etenim omissio

accentus sic demum posset excusari, si cohaererent cum sequentibus verbis. Atqui ubi verbum illud, cui praeire debebant, non sequitur, iudicandae sunt secundum eas leges, quae propriae sunt partium orationis tenorem suum aliis vocabulis non tradentium. Id observandum esset in his quoque, ἀνά et διά, ut,

νύκτα δι' ὀρφναίην,

etiam si illae non admitterent anastrophen. Sed cur tandem eam non admittant? Nam illa quidem ratio, propter quam ἀντί et ἀμφί et ὑπαί, ac similia non retrahant accentum, in eas non cadit, quia duas tantummodo moras complectuntur. Sed nimirum, quod vel coniectura assequi licebat, grammaticorum inepta subtilitas ambiguitatem vitandam censuit, ne aut ἄνα cum vocativo nominis ἄναξ, aut δία cum accusativo nominis Ζεύς confunderetur. De praepositione διά modo protuli locum scholiastae Veneti ad Iliad. XVII. 322. De ἀνά in iisdem scholiis ad V. 824. haec leguntur: οἱ μὲν ἀνέστρεψαν, ἵνα γένηται, ἀνὰ τὴν μάχην. Ἀρίσταρχος δὲ παρῃτήσατο τὴν ἀνά ἀναστρέψαι, ὁπότε μὴ σημαντικὴ εἴη τοῦ ἀνάστηθι, ἵνα μὴ συνεμπέσῃ τῷ,

Ζεῦ ἄνα, Δωδωναῖε.

ἔστι δὲ καὶ νῦν ἐκεῖνον προσθεῖναι τὸν λόγον, ὅτι, ὅταν πρόθεσις ἀντὶ ἑτέρας προθέσεως παραλαμβάνηται, οὐκ ἀναστρέφεται,

ἀλλ' ὅδ' ἀνὴρ ἐθέλει περὶ πάντων ἔμμεναι,
θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασι.

οὕτως οὖν κἀνθάδε δύναται ἡ ἀνά ἀντὶ τῆς κατά. Aristarchi ratio hoc magis absurda est, quod anastrophe in hac ipsa praepositione aliquo certe in casu ab eo conceditur. Igitur si in isto casu fera-

tur, quidni etiam in aliis? Altera ratio, quam scholiastes addit, prolata illa etiam ad Iliad. I. 258. et ab Etymologo tum edito p. 124, 1. tum inedito, prorsus nihili est. Primum enim, id quod maxime requirebatur, non redditur ratio, cur praepositio alius praepositionis vicem sustinens, non admittat anastrophen. Deinde vero illud ipsum, praepositionem pro alia praepositione poni, absurdum est et sibi repugnat. Nam si praepositio, quae pro alia praepositione poni dicitur, aliud quid significat, quam ea, pro qua ponitur, non potest pro ea poni. Sin autem idem significat, non pro illa ponitur, sed suo iure adhibetur. Quae quum ita sint, non vicerint grammatici, ut ἀνά et διά ab anastrophae necessitate liberentur, sed et μάχην ἄνα, et Αἰγίσθȣ δία scribendum erit. Atque eodem modo in praepositionibus bisyllabis omnibus, quae quidem utramque syllabam brevem habeant.

Sed placuit grammaticis anastrophen non admittere, si inter id nomen, ad quod praepositio referretur, et ipsam praepositionem aliud vocabulum interpositum esset, ut, τῷ δ' ἐπὶ Τυδείδης. De qua re dixit Fr. Aug. Wolfius in praefatione ad Odysseam p. XXVI. Eoque pertinent illa in loco Etymologi M. supra allato: ἡ δὲ κατά πρόθεσις ἀναστρέφεται, ἡνίκα ὑποτάττεται λέξει, μεθ' ἧς τινὸς ὀφείλει συντάττεσθαι, μὴ παρατιθεμένης ἐν τῷ μέσῳ οἱασδήποτε λέξεως. Scholiastes Venetus ad illa Iliad. VII. 163.

τῷ δ' ἐπὶ Τυδείδης ὦρτο κρατερὸς Διομήδης.

ȣ̓κ ἀναστρεπτέον τὴν πρόθεσιν· μεταξὺ γὰρ πέπτωκεν ὁ δέ συνδεσμός. Et ad V. 308.

ὦσε δ' ἀπὸ ῥινὸν τρηχὺς λίθος.

ȣ̓χ, ὡς οἴεται ὁ Ἀσκαλωνίτης, ἀναστραφήσεται ἡ πρόθεσις, ἐπεὶ (legitur ἐπὶ) τὸ ἑξῆς ἐστὶν ἄπωσε.

μεταξὺ γὰρ πέπτωκεν ὁ δέ. Haec vero quid censeamus aliud, quam ineptam grammaticorum subtilitatem esse? Nam isti quum anastrophen sic definiissent, ut proxime praecedere praepositioni deberet nomen, ad quod ea pertineret, non videntur anastrophen admittere voluisse, ubi aliud proxime ante praepositionem esset vocabulum, quocum ea non posset construi. Non arbitror audaciae nos accusari posse, si a grammaticorum opinionibus discedendum putamus, ubi isti aut non idoneas, aut falsas etiam rationes afferunt. Ac quid tandem sit, quare veteres Graeci pronunciaverint,

τῷ ἔπι πόλλ' ἐμόγησα,

non autem etiam,

τῷ δ' ἔπι Τυδείδης ὦρτο.

Etenim num minus in altero, quam in priore exemplo, praepositio ad praecedens pronomen pertinet? Aut quid est, quod in altero exemplo voce indicari debeat constructionis ratio, in altero autem non debeat? Atqui illa,

τῷ δ' ἐπὶ Τυδείδης ὦρτο,

ne intelligi quidem possunt, nisi pronuncietur ἔπι. In hoc disputationum genere, quid rei natura, non quid grammatici praecipiant, et quaerendum est, et vero etiam sequendum. Nam sequere, si ita videtur, grammaticos: quid lucri facies, nisi ut nescias, quo te vertas, quippe aliis alia, probabilia nullis praecipientibus?

Fuit autem dubitatum a grammaticis, scribendumne esset, Ξάνθε ἄπο δινήεντος, ἐμοῖς ἔπι γούνασι, ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος, an Ξάνθε ἀπὸ δινήεντος, ἐμοῖς ἐπὶ γούνασι, ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεν-

τος. De qua re copiosius exposuere Reizius in iis, quae scripsit de inclinatione tenoris p. 122. seqq. et Wolfius in praefatione ad Odysseam. Vide scholia Veneta ad finem catalogi, ad VI. 357. ad XXIII. 561. 718. Hanc quoque litem ipsa rei natura et ratio facile dirimere videtur. Haec enim quid aliud, quam praepositionem etiam vocis pronuntiatione ei verbo iungere praecipit, quod a praepositione regitur. Ista igitur exempla, quae commemoravi, sic pronunciari debebunt: Ξάνθου ἄπο δινήεντος, ἐμεῖς ἐπὶ γούνασι, ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος. Quae si aliter pronunciarentur, praepositiones iungerentur iis verbis, quae non ipsa e praepositionibus pendent, sed ad nomina illa, quae reguntur a praepositionibus, explicationis vel ornatus caussa apposita sunt. Quamobrem omnis constructio et sensus perturbaretur, si pronunciaretur, Ξάνθου ἀπὸ δινήεντος, ἐμοῖς ἔπι γούνασι, ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος. Haec enim nomina, Ξάνθου, γούνασι, Σελλήεντος pro appositis forent, non illa, quae vere sunt apposita, δινήεντος, ἐμοῖς, ποταμοῦ. Atque haec ratio etiam Aristarcho probata fuit. Scholiastes Venetus ad finem catalogi: πᾶσα πρόθεσις μεταξὺ κυρίου καὶ ἐπιθετικοῦ τῷ κυρίῳ ἕπεται κατὰ Ἀρίσταρχον.

Cap. XXII.

De mutatione accentus in dictionibus procliticis propter significationem.

Altera caussa, quare dictiones procliticae accentum aut recuperant, aut in priorem syllabam re-

trahunt, in significationis mutatione posita est. Nam significatio quum eiusmodi est, ut dictio non referatur necessario ad sequentia verba, propter eamdem caussam dictio proclitica aut notabitur accentu, aut retrahet eum, propter quam accentum aut amiserat, aut in ultima syllaba habebat.

Ac primum qui in dictionibus procliticis sunt articulorum casus, ὁ, ἡ, οἱ, αἱ, hi propterea deponunt accentum, quod ad sequens substantivum pertinent. Quod si quando non referuntur ad sequentia, id est, si quando pronominum instar sunt, fieri non potest, quin servare accentum debeant, ut,

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν.

De qua re nota est Reizii disputatio, in qua is magna cum eruditione formulas enumeravit, in quibus articulus pronominis munere fungitur. Atque omnino articulum natura sua pronomen esse, infra copiosius demonstrabitur.

Οὐ ἀποφατικὸν accentum suum deponit in sequente vocabulo. Οὒ ἀρνητικὸν eum recuperare, iam a grammaticis observatum est. Οὐ λέγω, *non dico.* Οὔ λέγω, *dico non.* Sed in particula οὐ aliud praeterea observandum est. Vidimus supra, encliticum τὶς, quum interrogationi inservit, etiam in continuata oratione acuto accentu scribendum esse. Eadem ratio est procliticae dictionis οὐ. Nam pro duplici, quem habere potest, accentu duplicem sensum praebet. Οὐ λέγεις; *nonne dicis?* quum dicenti opponitur is, qui aliquid aliud facit, ut responderi possit, λέγω· ἀλλ' οὐκ ἀληθὲς εἶναι νομίζω, aut, οὐ λέγω, ἀλλ' οἶμαι μόνον. Οὔ λέγεις; *non dicis?* quum non dicenti opponitur vere dicens, ut responderi debeat, λέγω, aut οὐ λέγω. Quoniam enim in hoc loquendi modo non perti-

net oppositio ad rei, de qua quis loquitur, naturam, sed ad id, utrum ea res sit, an non sit, negatio acuenda est, ut quae primarium locum teneat, et sola comprehendat oppositionem. His tertium addi potest, accentu eodem, significatione diversa. Nam οὔ λέγεις; si οὖ non est ἀποφατικόν, sed ἀρνητικόν, significabit, *dicisne non?* Ibi opponitur ναί, ut respondendum sit, λέγω οὔ, aut λέγω ναί.

Sequitur ὡς, quam particulam, ubi *sic* significat, cum acuto accentu scribunt. Verum Etymologus M. p. 824, 48. hunc significatum circumflexo indicari tradit: περισπᾶται δὲ καὶ ὅτε σημαίνει τὸ οὕτως,

χρὴ μὲν σφωΐτερον,

καὶ ἑξῆς,

ὧς γὰρ ἄμεινον.

Grammaticus MS. περὶ τόνων, postquam de huius particulae significationibus eadem ferme, quae Etymologus M. commemoravit, πάντα δὲ ταῦτα, inquit, ὀξύνονται, (id est, sic quidem, ut deponant accentum in sequente vocabulo) χωρὶς δύο, τοῦ σημαίνοντος τὸ ὅπως, καὶ τοῦ σημαίνοντος τὸ ὅμως. ταῦτα γὰρ περισπᾶται. Exempla attulerat eadem, quae Etymologus, de ὡς pro ὅπως hoc,

ὡς σπείσῃς Διῒ πατρί.

Sic sine accentu in codice scriptum. De ὡς pro ὅμως hoc:

ἀλλ' οὐδ' ὧς ἑτάρους ἐρρύσατο, ἱέμενός περ.

Ita codex ὧς cum circumflexo. Atque ὡς pro ὅμως circumflecti volunt etiam Apollonius in lexico Homerico p. 870. et scholiastes Venetus ad Iliad. I. 116.

et Euſtathius ad Iliad. I. p. 61. extrema, cuius verba haec ſunt: ὅτι ἐν τῷ,

ἀλλὰ καὶ ὣς ἐθέλω δόμεναι πάλιν,

περισπᾶται παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ ὦς. Φέρεται γὰρ ἐν τοῖς Ἡροδώρου καὶ Ἀπίωνος, ὅτι τὸ ὥς, ὅτε δηλοῖ τὸ ὅμως, περισπᾶται. Scholiaſtes Waſſenberghii ad Iliad. I. 116. τὸ ὧς περισπᾶται. σημαίνει γὰρ τὸ ὅμως. καὶ ὅτι μετὰ τοῦ ε ἐπάγεται· διὸ καὶ ὀξύνεται. Scripſit hic, niſi fallor, ὅτε μέντοι τὸ τ ἐπάγεται. Deinde quaedam exciderunt. Grammaticus ille MS. quem paullo ante commemoravi, alio in loco: τὸ καθὼς καὶ τὸ ὣς ἀντὶ τοῦ οὕτως ὀξύνονται. Euſtathius ad Iliad. III. p. 429, 33. ἰστέον δέ, ὅτι τοῦ τώς, ἤγουν οὕτως, χρῆσις καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῷ,

τὼς αὐτοσφαγεῖς ὀλοίατο.

ἐκ δὲ τούτου ἀποβολῇ τοῦ τ γίνεται τὸ ὥς, ὀξυνόμενον καὶ αὐτό, ὁμοίως τῷ καθώς. Quae repetiit Phavorinus.

Diſſenſum hunc grammaticorum fruſtra puto componere ſtudeas. Dirimendus eſt, quippe ex parum accurata obſervatione ortus. Significationes iſta particula omnino habet octo: *ſicut*, *quod*, *ut* finem ſignificans, *quum*, *ad*, *ubi*, *ſic*, *quam*. Harum ſex priores, *ſicut*, *quod*, *ut*, *quum*, *ad*, *ubi*, ita ſunt comparatae, ut natura ſua ad ſequentia verba trahantur, neque vocis contentionem requirant. Hae igitur ubi locum habent, ſemper deponetur accentus, niſi ubi per anaſtrophen poſt id verbum, ad quod referuntur, collocatae fuerint, ut ὄρνιθες ὥς. Quae autem reliquae ſunt duae ſignificationes, earum prior, *ſic*, natura ſua non poſtulat, ut quidquam ſequatur. Poteſt enim

per ſe intelligi, et nudum collocari ὦς. Eaque more adverbiorum videtur circumflectenda eſſe:

ὦς εἰπὼν πυλέων ἐξέσσυτο φαίδιμος Ἕκτωρ.
ἀλλὰ καὶ ὦς ἐθέλω δόμεναι πάλιν.
ἀλλ' ὐδ' ὦς ἑτάρους ἐῤῥύσατο.

Sic enim et πῶς dicitur, nec dubito quin τῶς, quod quidem *ſic* ſignificet, eodem modo ſcribendum ſit:

τῶς δέ σ' ἀπεχθήρω, ὡς νῦν ἔκπαγλ' ἐφίλησα.
τῶς αὐτοσφαγέας ὀλοίατο.

Nam quid tandem eſt, quare hoc grammatici acui velint? Euſtathius quidem ὥς pro οὕτως propterea acuendum tradit, quia τώς, unde abiecta τ naſcatur ὥς, acutum habeat. Eademque, niſi fallor, Waſſenberghiani ſcholiaſtae ſententia fuit. Nam hic ſic ferme videtur ſcripſiſſe in eo loco, quem ſupra attuli: ὅτε μέντοι τὸ τ ἐπάγεται, γίνεται τὰς ὀξυνόμενον, καὶ ἀποβολῇ τοῦ τ ὥς· διὸ καὶ ὀξύνεται. Verum, niſi fallor, horum plane contraria ratio eſt. Nam quoniam ὥς pro οὕτως cum acuto ſcribendum cenſuere, etiam τώς ita ſcribere viſum eſt, ut ortum ex ὥς. Ὥς autem ſcribebant, quia id fieret e pronomine ὅς. Etymologus M. p. 643, 35. τὸ δὲ ὥς ὀξύνεται, ἐπεὶ ἀπὸ τοῦ ὅς γέγονε. Sed, ut diximus, τώς pro οὕτως poſitum repugnat analogiae, quae, ut πῶς ſcribitur, ita τῶς ſcribi poſtulat. Atque ſic edd. veteres Heſychii, Theocriti, aliorumque ſcriptorum. At enim vero eadem comparatione τὼς ſcribendum eſt, ubi hoc adverbium non *ſic* ſignificat, ſed pro ὡς, *quemadmodum* vel *ubi* ſignificante, ponitur, ut apud Ariſtophanem in Acharnenſibus v. 761.

ὑμὲς ὧν αἐί,
ὀυκ᾽ ἐσβάλητε, τὼς ἀρωραῖοι μύες,
πάσσακι τὰς ἀγλῖθας ἐξορύσσετε.

Et apud Theocritum epigr. IV.

τήναν τὰν λαύραν, τὼς αἱ δρύες, αἰπόλε, κάμψας.

Hic enim τώς est *ubi*, ut ὡς in primo idyllio:

λῇς, ποτὶ τᾶν νυμφᾶν, λῇς, αἰπόλε, τᾷδε καθίξας,
ὡς τὸ κάταντες τοῦτο γεώλοφον, αἵ τε μυρῖκαι,
συρίσδεν;

Denique ὥς, *quam* significans, cum acuto accentu scribendum videtur. Nam neque ad praecedentia refertur, ut scribi possit ὧς cum circumflexo, neque sic ad sequentia trahitur, ut eodem modo, quo quum *ut*, i. e. *quomodo*, significat, quae cognata significatio est, pronunciari possit. Vehementius enim voce exprimitur, pariter ac Latinum *ut*, *quam* significans:

ut vidi, ut perii; ut me malus abstulit error.
ὡς ἴδεν, ὥς ἐμάνη, ὥς ἐς βαθὺν ἅλλετ᾽ ἔρωτα.

ὥς ἀγαθαὶ φρένες ἦσαν ἐχέφρονι Πηνελοπείῃ.

Eodem modo θαυμασίως ὥς scribi debet; non item ὡς τάχιστα, et similia. Quamquam enim hoc fortasse simile videatur, ut ὅσον τάχιστα, est tamen hic ὡς *sicut*, quemadmodum ᾗ τάχιστα.

Transgredior ad alium locum, qui est de accentu praepositionum a verbis, quibuscum coniungi debebant, per tmesin separatarum. Etymologus M. p. 123, 49.

ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.

τὰ ἑξῆς, ἀπαμῦναι. διὸ φυλάσσει τὸν ἴδιον τόνον. ὅτε γὰρ ἡ πρόθεσις τὴν σύνταξιν ἐλλιπῆ ἔχει πρὸς τὸ (sic codex MS.) ἐπιφερόμενον, τὸν ἴδιον τόνον φυλάσσει, ὡς τά,

> νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος Ἠελίοιο
> ἤσθιον.
>
> πὰρ ἔμοιγε καὶ ἄλλοι·

τὴν παρά πρόθεσιν κατὰ τὴν ἀρχὴν ὀξύνουσι, καὶ καθόλου, ὅτε σημαντικαί εἰσι τῶν ῥημάτων αἱ προθέσεις, τοῦτον τὸν τόνον ἀντέχονται, οἷον,

> ἔπει οὔ τοι ἔπι δέος·
>
> οὕνεκα καλὸν
> εἶδος ἔπ᾽, ἀλλ᾽ οὐκ ἔστιν.
>
> οὐ γὰρ ἔπ᾽ ἀνὴρ,
> οἷος Ὀδυσσεύς.
>
> οἳ πέρι μὲν βουλῇ Δαναῶν, πέρι δ᾽ ἐστὲ μαχήται.

ἡ περὶ ἀντὶ ἑτέρας κεῖται τῆς ὑπὲρ τὸν ἴδιον οὖν τόνον φυλάττει. πρόθεσις γὰρ ἀντὶ ἑτέρας προθέσεως λαμβανομένη τὸν ἴδιον τόνον φυλάσσει. οὕτως ἔχει τό,

> ἀλλ᾽ ὅδ᾽ ἀνὴρ ἐθέλει πέρι πάντων ἔμμεναι ἄλλων.

καὶ αἱ προθέσεις καθ᾽ ἑαυτὰς οὖσαι ὀξύνονται· ἀναστροφῆς δέ ἐστιν ἴδιον τὸ τὸν ἴδιον ἀναπέμπειν τόνον. ἀναστροφή ἐστι μετάθεσις τόνου. His adde, quod alii, si praepositio ante verbum collocata esset, omittebant accentum, ut,

> πρίν γ᾽ απο πατρὶ φίλῳ δόμεναι ἑλικώπιδα κούρην,

quo ostenderent, coniungendam esse praepositionem cum verbo, ἀποδόμεναι. Vide Villoisoni Anecdota Graeca P. II. p. 130. Denique, si sequere-

tum praepositio, nec dictio inter eam et verbum, ad quod pertineret, intermedia esset, anastrophen adhibebant:

ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους.

Vide scholiasten Venetum ad Iliad. V. 308. VII. 163. Quid horum verum dicamus? Mea quidem sententia deseremus grammaticos, nihil nisi aut inepta, aut repugnantia tradentes. Nam hic quoque locus ipsa duce rei natura multo melius poterit explicari.

Sed repetenda est omnis disputatio ab ea re, quae fundus est harum dissensionum. Etenim ante omnia quaerendum est, quid sit tmesis, vel, ut rectius dicam, an aliqua omnino esse tmesis possit. Equidem non aliam novi tmesin, quam illam Q. Ennii:

saxo cere comminuit brum.

Nam quid tandem sit tmesis, nisi verbi in duas partes distractio, interposita alia dictione? Sumitur enim, verbum, quod per tmesin in duas partes disiungitur, unum esse, ideoque non debere disiungi. Atqui si verbum unum est, non potest disiungi, ut quod dici debebat *cerebrum*, non *cere* et *brum*; sin disiunctum est, non est unum, ut *ἀπό* et *δόμεναι*, sed duo verba. At, inquiunt, tmesis in iis tantum verbis locum habet, quae quia facta sunt e duobus verbis, distrahi possunt in ea verba, e quibus facta sunt, ut *ἀποδόμεναι*, factum ex *ἀπό* et *δόμεναι*: est ergo tmesis distractio verbi compositi in ea verba, e quibus compositum est. Verum haec quoque definitio subindicat, eiusmodi verbum non debere distrahi. Nam nisi ita esset, ne foret quidem ulla usquam tmesis. Quodsi non debet distrahi, qui fit, ut distrahatur? sin autem distrahitur, quid est, quare distrahi non debeat?

Scilicet *debere* illud nihil est aliud, quam usitatius esse. Ex quo consequitur, tmesin nihil esse, nisi inanem grammaticorum fictionem. Nam duo vocabula si coniuncta sunt, unum: si disiuncta, duo sunt. Quae si alia dictione in medio posita separantur, difficilius ea quis in unam vocem coniungat, quam olim duas continentes a Xerxe coniunctas accepimus. Atque omnino nescio, utrum tmesis, ἀπὸ πατρὶ δόμεναι, an magis σύνθεσις, ἀποδόμεναι πατρί, adnotanda fuerit. Quam enim tmesin vocant grammatici, ea et natura et usu prior fuit, quam σύνθεσις. Sed nimirum, quoniam recentior consuetudo, ad quam omnia exigebant, σύνθεσιν usurpabat, tmesin istam ut discessionem a communi usu animadvertere iubebant. Oportebat autem contrarium facere. Nec quidquam verius atque aptius de hac re dici potuit, quam quod Wolfius scripsit in praefatione ad Odysseam p. XXV: *universe autem de tmesi verborum aliter apud Homerum, aliter in lingua regulis adstrictiore statuendum censeo, quoniam multa eorum, quae posterior usus composita usurpat, prisco aevo nondum plane coaluisse frequentissimae et liberrimae distractiones ostendunt.* Enimvero Homero tmesin tribuere absurdum est: in recentioribus autem eam adnotare, id est observare, ubi prisco more σύνθεσιν spreverint. Quod si in hoc, ἀπὸ πατρὶ φίλῳ δόμεναι, et in similibus exemplis (sunt autem omnia huius similia) nulla est tmesis, quomodo explicandus erit iste loquendi modus, ἀπὸ πατρὶ φίλῳ δόμεναι? Ex ea re, puto, in qua posita est natura praepositionum. Atqui praepositiones natura sua casum requirunt, quem regant. Qui quum omitteretur, ubi sensus ea omissione nihil detrimenti caperet, remansit nuda praepositio, adverbii fungens munere:

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν,

id eſt, σὺν ἀλλήλοις:

ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν,

id eſt ἐν τῷ σάκει. Sic igitur etiam ἀπὸ πατρὶ δόμεναι dicebatur, quod plene dici debuiſſet, ἀφ' ἑαυτοῦ πατρὶ δόμεναι. Eademque caeterorum, quotquot afferri poſſunt, exemplorum ratio eſt.

Sed dicatur nunc de accentu praepoſitionum adverbii vicem ſuſtinentium. Ac patet primum,

πρίν γ' ἀπο πατρὶ φίλῳ δόμεναι ἑλικώπιδα κούρην,

omiſſo accentu ſcribi non poſſe, quia tmeſin reiecimus. Quod ſi ſic ſcribamus,

πρίν γ' ἀπὸ πατρὶ φίλῳ δόμεναι ἑλικώπιδα κούρην,

haud rectius fecerimus. Nam ἀπό cum accentu in ultima ſcribitur, ubi praepoſitio eſt, quo ipſe accentus praepoſitionem cum ſequentibus iungendam eſſe indicet. Quod ſi nihil ſequitur, quo referatur praepoſitio, anaſtrophen patiatur neceſſe eſt. Accedit quod ſignificatio mutatur, quam ſupra in aliis exemplis cauſſam anaſtrophes eſſe oſtendimus.

Clarius haec res patebit in monoſyllabis praepoſitionibus, quae ſine accentu ſcribuntur, ut ἐν et εἰς et ἐξ. Hae carent accentu, quia eum tramittunt ad ſequentia: quod ſi nihil ſequitur, quo referantur, recuperare debent accentum. Ac, quidquid obloquantur grammatici, vel inviti cogimur has praepoſitiones, ubi adverbiorum loco ſunt, cum quadam vocis contentione proferre:

ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς
σκήψας ἐλαύνει, λοιμὸς ἔχθιστος, πόλιν.
ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανόν, ἐν δὲ θά-
λασσαν.
ἐς δ' ἐρέτας ἔκρινεν ἐείκοσιν, ἐς δ' ἑκατόμβην
βῆσε θεῷ.
ἐκ δὲ τρήρωνα πέλειαν
λεπτῇ μηρίνθῳ δῆσεν ποδός.

Redeo ad praepositiones bisyllabas. Has supra dixi simili comparatione, ut ἔστιν et alia, quum adverbia factae sunt, ob mutatam significationem anastrophen pati debere:

ἄνα δὲ Χρυσηΐδα καλλιπάρῃον
εἷσεν ἄγων.
πέρι δ' ἄντυγα βάλλε φαεινήν.
μέλανες δ' ἄνα βότρυες ἦσαν.

Nunc ostendam, id etiam grammaticorum decretis consentaneum esse, qui quum in quibusdam exemplis anastrophen admittant, eo tantum nomine reprehendendi sunt, quod non constantes fuere. Et fuissent, arbitror, si caussam suorum decretorum ipsi perspexissent. Supra ex Etymologo M. haec attuli:

πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι.

τὴν παρά πρόθεσιν κατὰ τὴν ἀρχὴν ὀξύνουσι. καὶ καθόλου, ὅτε σημαντικαί εἰσι τῶν ῥημάτων αἱ προθέσεις, τοῦτον τὸν τόνον ἀντέχονται, οἷον,

ἐπεὶ οὔ τοι ἔπι δέος.
οὕνεκα καλὸν
εἶδος ἔπ', ἀλλ' οὐκ ἔστιν.
οὐ γὰρ ἔπ' ἀνήρ,
οἷος Ὀδυσσεύς.

At umquamne praepositionem pro verbo quisquam adhibuerit? Id quidem tam absurdum foret, quam quod maxime. Immo omissum est verbum in his omnibus, et quidem ἐστί, quod saepissime omittitur. Itaque praepositio non pro verbo posita est. Cur ergo anastrophe adhibetur? Propterea quidem, quod, ubi nihil sequitur, quod praepositio regat, adverbii instar est. Hoc si animadvertissent grammatici, non tradidissent in aliis exemplis contraria. Scholiastes Venetus ad illa Iliad. XXIII. 718.

τρίποδος πέρι ποιητοῖο,

δύναται μέντοι ἐνθάδε ἡ περὶ ἰσοδυναμεῖν τῷ περισσῶς, τουτέστιν ἐξαιρέτως, πεποιημένου. διὸ οὐκ ἀναστρεπτέον. Sic grammatici scribunt,

παρὰ δὲ χρυσόθρονος Ἥρη,

non,

πάρα δὲ χρυσόθρονος Ἥρη,

at,

πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι.

Scilicet praepositio ista, inquiunt, in altero exemplo pro πάρεστι posita est, in altero non est pro πάρεστι posita. Quasi vero quidquam intersit, utrum ἐστίν, an ἐκαθεῦδεν omittatur. Quamobrem absurdum est, si scribas,

πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι,

idem nolle facere in altero exemplo, atque in similibus omnibus.

Satis arbitror clarum esse, grammaticos in reddenda ratione erravisse. Quod si anastrophe adhibetur propterea, quod adverbii significationem induunt praepositiones, perinde est, utrum

omittatur verbum, an adiiciatur. Scribi ergo debebit,

> πρίν γ' ἄπο πατρὶ φίλῳ δόμεναι ἑλικώπιδα κούρην,

si quidem, ut supra ostendi, hic quoque ἄπο adverbium est, non praepositio.

LIBER II.

CAP. I.

De ratione explicandae grammaticae.

Nulla re magis arbitror levitatem huius aetatis cognofci, quam eo, quod etiam grammatici, feverifſima alias hominum natio, iſtam elegantis cuiusdam culturae fpeciem, quae nunc reliquas difciplinas omnes occupavit, non dubitarunt induere. Quod hominum genus quum olim plurimarum rerum fcientiam memoriter comprehendere fummam eruditionem putaret, nunc, poſtquam philofophiae lumen omnibus artibus ac difciplinis admoveri coepit, in eam traducti funt fententiam, ut fola cogitationis perveſtigatione omnia perfici poffe exiſtiment. At vero quamquam contemnendi funt iſti, qui nihil fciunt aut credunt, nifi quod ab antiquis auctoribus confirmatum intellexerint: multo magis tamen fpernendi videntur hi, qui quum probabiliter disputare fummam laudem putent, id ipfum, de quo disputant, cognofcere negligunt. Nempe nihil facilius eſt, quam difcendi moleſtias levitate coniecturarum evitare: multoque magis commodum inertibus eſt, quid effe debeat, fuo arbitrio definire, quam, quid fit, e multiplici

rerum varietate ingentique experientiae apparatu eruere. In qua re illud inprimis dolendum eſt, quod, ſimulatque aliquis eorum, quorum magna apud omnes auctoritas eſt, aliquid novi protulit, continuo ingens accurrere ſolet imitatorum oſtentatorumque multitudo, qui ut vetuſtatis reprehenſionem ab ſe arceant, quae ille dixit, avide arripiunt, repetunt, divulgant, ac, dum ipſi aliquid addere cupiunt, ſaepenumero rem corrumpunt. Haec omnia planiſſime evenerunt in iis, quae inde ab aliquot annis multi de Graecae grammaticae ratione disputarunt. Nam quum magnus ille Tib. Hemſterhuſius novam indicaſſet viam ad origines Graecae linguae inveſtigandas, eamque rationem amplius perſequutus eſſet Valkenarius, Hemſterhuſii diſcipulus: novitate rei atque admirabili ſpecie captus Lennepius ita coniecturis indulſit, ut, in quas ipſe ſe difficultates implicaret, ne animadvertiſſe quidem videatur. Dum enim totum ſe ad perſequendam analogiae probabilitatem dederet, oblitus eſt ea conquirere, quae iſti analogiae repugnarent, eamque aut labefactarent, aut everterent. Quae quidem plurima ſunt. Nihil tamen harum rerum animadvertit editor atque interpres Lennepii, Everardus Scheidius: in quo homine ſi quid eſſet dicacitatis, facilius putaretur iis, quae ad Lennepium adnotavit, traducere ſectam Hemſterhuſii, quam ſe eius aſſeclam profiteri voluiſſe. Commota deinde inter Germanos ſtudia ſunt emendandae Graecae grammatices tanta quidem vehementia, ut intra paucos annos plurimi exiſterent, qui in hoc genere elaborandum putarent. Quorum quidam, Hemſterhuſii diſciplinam ſequuti, eo maiore uſi ſunt coniecturarum audacia, quo minorem habebant Graecae linguae peritiam. Caeteri, quibus etiam audacia deerat, nihil egerunt, niſi

ut, si quas grammaticae particulas paullo commodius, quam ante, tradi posse existimarent, continuo omnem grammaticae doctrinam, repetitis plerisque omnibus superiorum erroribus, exponerent. Equidem duos tantummodo novi excellentes viros, quorum longe alia, quam caeterorum omnium, mens fuit ac disciplina; unum Ioannem Primisserum, qui quum insignem Graecae linguae peritiam magno cum ingenii acumine coniungeret, tam docte ac subtiliter Trendelenburgii commenta impugnavit, ut maxime dolendum videatur, quod ille vir non sit etiam alias Graecae grammaticae partes persequutus. Alter est Frider. Volg. Reizius, praeceptor meus, qui si, quod instituerat, grammaticam Marchicam ab se emendatam edidisset, tantum accessisset Graecae linguae lumen, ut vix optare quidquam melius, nedum sperare, licuisset. Quanta enim Reizii in hisce rebus exponendis vel doctrinae ubertas, vel cogitationis subtilitas, vel denique explicationis perspicuitas fuerit, documento sunt ea, quae de inclinatione accentus et de modis ac temporibus verbi Graeci scripsit: quibus scriptis nescio an ille omnes omnium temporum grammaticos longe superaverit. Sed hunc quidem virum doctis omnibus et bonis iusto citius mors eripuit. Vna vero supererat, sed ea admodum ambigua, spes refingendae Graecae grammatices. Etenim quum recentissima philosophiae commutatione factum esset, ut, qui Kantii sectae se addixissent, prope omnium artium ac disciplinarum rationem immutare conarentur, facile licebat coniicere, fore, qui etiam Graecam grammaticam ad suae regulam philosophiae conformare instituerent. Idque factum est. Edidit enim in ipsa natali sede istius philosophiae a. CIƆIƆCCXCII. Graecam et Latinam grammatologi-

eam Hassius: cuius etsi non nego laudabile studium esse, accidit tamen ei idem, quod Kantianis prope omnibus, ut male intellecta summi magistri disciplina male abuteretur. Quo magis miror fuisse, qui hunc librum multis laudibus ornarent, quem ego arbitror admodum incogitanter scriptum esse, minimeque ita, ut quis vel levissima verae in eo philosophiae vestigia invenire possit. Nam, ut exemplis sententiam meam comprobem, quod Hassius dicit, quae necessariae notionum formae animo humano inditae sint, eas etiam in linguarum conformatione cerni; id quamquam verissimum est, longe aliter tamen istae linguarum formae ab eo describi debebant. Earum hunc ponit ordinem et hanc rationem. Primum, quod ad relationem notionum attineat, substantiam, quam dicunt philosophi, exprimi nomine; actionem verbo, eoque activo, si caussa, passivo, si effectus designetur; communionem denique coniunctione nominis et verbi per personas et particulas. Deinde si quantitas notionum spectetur, unum numero singulari, plura plurali, omnia infinitivo notari. Porro modos notionum sic declarari, ut veritatem indicativus, possibilitatem coniunctivus, necessitatem imperativus indicet. Denique quod attineat ad qualitatem notionum, affirmationem gradu positivo, negationem et limitationem gradibus comparationis designari. In hac descriptione partium, quibus linguae constant, ut de innumeris erroribus aliquos tantum commemorem, quid hoc est, quod numero singulari et plurali adiungit infinitivum, tamquam quo multa in unum, quod deinde omne dicitur, consociata sint? Eane vero infinitivi vis est? Immo hic nihil aliud, quam conditionem alicuius rei cum temporis notitia coniunctam notat, neque aut unitatis aut multitudinis additam habet

significationem, sed de una, de multis, de omnibus rebus aeque usurpatur, atque adverbia, quorum eadem, quae infinitivorum, ratio est, ut, quoniam numeri significationem non habent adiunctam, promiscue de omni numero adhiberi queant. Denique quomodo tandem illud sibi potuit in animum inducere, negationem exprimi gradu comparationis? Nam quae haec negatio est, quae maiore vel minore gradu contineatur? Ea vero limitatio est, non negatio, in quam ne potest quidem cadere gradus. Multo etiam imperitius deinde addidit hoc, ad illas notionum formas linguarum notis expressas accedere etiam spatii ac temporis animadversionem: ac spatii quidem indicia ubique in linguis reperiri, ut in locorum notatione, in verbis *mittere*, *ire*, et similibus; tempus autem temporibus verbi designari. Adeone igitur ille praecepta magistri oblitus fuit, ut non meminisset, temporis tantummodo animadversionem omnibus animi cogitationibus necessario adhaerere, quia, quidquid cogitatur, non cogitatur nisi in tempore; spatium autem ad res externas solum pertinere, cuius accessio ad animi cogitationes quia fortuita est, praeteriri hic quidem debebat ab eo, qui se vellet philosophum praebere. Sed alia multa in isto libro sunt, quae minime prodant philosophum, ut quod generis nominum diversitatem inde ortam putat, quod linguarum repertores alias res validiores, alias debiliores esse animadvertissent. Ex eodem genere illud quoque est satis memorabile vitium, quod partium orationis expositionem a verbo orditur, quia non solum nomina pleraque e verbis orta sint, et verbi natura explanata melius explicari nomina queant, sed etiam verborum origo prior fuerit caeteris orationis partibus. Quasi vero hoc philosophi sit, temporis ordinem malle,

quam naturae, sequi, et ea ponere rerum elementa, quae non sint prima, sed prima apparuerint.

Dixi de Hassii libro copiosius, ne mirarentur, qui hunc probant, quod ego longe aliam in sententiam abiissem. Idem enim, quod illi fuit, mihi quoque consilium est, ut Graecae linguae rationem ex iis, quae omnium linguarum elementa sunt ac fundamenta, repetam atque explanem. In qua re est sane philosophia opus; sed absint a nobis partium studia, unde nihil, nisi dissensiones contentionesque de rebus inutilibus nasci solent. Illud unum iure nostro postulare nobis videmur, ut categoriarum, quae vocantur, partitionibus uti liceat, quibus informatae animo ante omnem experientiam leges formaeque notionum intelliguntur.

Cap. II.

De partibus orationis.

Ordienda est autem naturae linguarum explicatio a partibus orationis. Earum antiquiores grammatici magnum numerum posuerant, quem deinde, qui rem clarius perspexissent, ad tres partes orationis revocarunt. Scilicet quum omne linguarum officium eo contineatur, ut animi cogitationes signis quibusdam declarentur, totidem quaeque lingua signorum formas habeat necesse est, quot sunt partes cogitationum. Atque unaquaeque cogitatio, quae nunc iudicium, nunc enunciatio, nunc aliis nominibus vocatur, tribus omnino constat iisque necessariis partibus: prima, quam subiectum philosophi vocant, quo significatur res, de qua quid dicitur; secunda, quam praedicatum

appellant, quo indicatur id, quod de aliqua re dicitur; tertia denique, quae copulae nomen habet, quo praedicati et subiecti exprimitur consociatio. Quae quum ita sint, tres etiam erunt orationis partes, quae illis cogitationum partibus respondeant. Ac subiecti nota dicitur NOMEN, quo significatur res, de qua aliquid enunciari queat; praedicati nota PARTICVLA est, qua indicatur conditio, quae per se nulla est, nisi si rei alicui assignetur; copulae denique nota VERBVM vocatur, cuius ope praedicatum tribuitur subiecto, conditioque intelligitur esse rei alicuius conditio. Itaque nulla reperiri potest enunciatio, qua non contineantur tres istae orationis cogitationumque partes. Nam si quae sunt enunciationes, quae duabus tantum, aut una etiam orationis parte videantur constare, ut, *sol oritur, vivo*, iis videtur tantum aliquid deesse, non vere deest. Significantur enim istis exemplis haec, *sol oriens est*, *ego vivens sum*. Neque vero hoc debet offensioni esse, quod in hisce atque aliis plurimis exemplis, si Graeca Latinaque lingua exprimuntur, particulae loco nomen adiectivum occurrit. Id enim vitio istarum linguarum, non rei necessitate fit. Id quod clarissime e Germanica lingua cognoscitur, cuius in hac quidem re admirabilis veritas est atque simplicitas. Nos enim non nomen adiectivum iungimus substantivo, sed adverbium, ut in his, *das pferd ist gut, besser, am besten*, plane, ut rei natura postulat, simplici conditionis nota cum subiecto copulata. Quanto operosius Latini et Graeci, *equus bonus est, melior, optimus*, *ὁ ἵππος ἀγαθός ἐστι, κρείσσων, βέλτιστος*. Quo quid aliud significant, quam hoc, *equus est equus bonus, equus melior, equus optimus*?

Cap. III.

De pronomine.

Sed ut ad ipſam ſingularum orationis partium explicationem aggrediamur, primo loco de nomine dicemus. Ac nomine quum illud, quod ſubiectum vocatur, ſignificari debeat, debet id tamen aliquam habere notam, quo cognoſci poſſit. Poteſt autem omne ſubiectum quatuor modis conſiderari, pro quantitate ſua, pro qualitate, pro relatione, pro modalitate. Quantitatem autem intelligimus, qua quid ſit id, de quo loquimur, conſtet; qualitatem, qua cognoſcamus, utrum ſit, an non ſit; relationem, qua diſcamus, an aliunde eius natura pendeat; modalitatem denique, qua vere illud animadvertimus, aut ut poſſibile ponimus, aut ut neceſſarium agnoſcimus. Sed ad harum rerum inveſtigationem non ſunt nomina propria, aut appellativa, aut adiectiva adhibenda, ut *Alexander*, *rex*, *magnus*. Continent enim illa remotiores notas. Quare quaeri poteſt, quis ſit Alexander, quis rex, quis magnus. Quod ſi, ut par eſt, eas tantum notas ſpectamus, quae primae ſunt et neceſſariae, ea inveniemus, quae pronomina non ſatis recte dicuntur. Sunt enim multo magis nomina, quam quae nominum appellationem habent, quia his ſemper ut fundamenta ſubiecta ſunt. Quippe nullum nomen cogitari poteſt, niſi quod et unius pluriumve nomen ſit, et aut in aliquem aut in neminem expetat, et habeat, quod de eo praedicari poſſit, et denique vel primae vel ſecundae vel tertiae perſonae ſit.

Atque ad quantitatem quod attinet, ea continetur pronominibus numeralibus, ut *unus*, *duo*, *tres*.

Qualitatem ea pronomina indicant, quibus esse aliquis, aut non esse dicitur, ut *aliquis*, *nemo*.

Relationem significant illa pronomina, quae ut intelligi possint, alius notae accessionem requirunt, ut *idem*, *qui*, *ipse*.

Modalitatem denique pronomina ea exprimunt, quibus personae distinguuntur, ut *hic*, *tu*, *ego*. Nimirum tertia persona si utimur, ut *hic*, neque in nobis eam ponimus, neque ad nos referimus, sed extra nosmet ipsos collocamus, tamquam quae sit et exstet per se, neque e nobis pendeat. Secundam autem personam, *tu*, non possumus cogitare nisi relatam ad nosmet ipsos. Eo igitur eam personam non ponimus ut per se exstantem, sed ut quae possit exstare. Nam quatenus secunda persona est, unice per nos nostramque cogitationem exstat. Atqui quae cogitantur esse, quatenus cogitantur, possibilia tantum sunt. Vere enim exstantia etiam absque nostra cogitatione exstant. Prima denique persona quae vocatur, licet numero tertia sit, eo ut necessaria ponitur, quod hoc ipso, quia cogitatur, etiam exstat. Necessaria enim sunt, quae propter ipsam possibilitatem suam exstant, id est, quae ab ipsa cogitatione veritatem accipiunt. Veluti bis quatuor esse octo eo ipso, quod hanc rationem cogitamus, verum esse facimus. Quamobrem *ego* necessaria est persona: quippe est illa eo, quod ab se ipsa cogitatur, nec posset sese cogitare, nisi esset.

CAP. IV.

De nomine.

Nominum diverſitates grammatici et multas poſuere valde inutiles, neque eae, quae merito adhibendae erant, quo discrimine diiudicarentur, ſatis explicarunt. Nam quale hoc eſt, quod nomine ſubſtantivo res ipſas, nomine adiectivo adiunctam aliquam conditionem indicari aiunt? Num minus expreſſa conditio aliqua eſt in his, *vir*, *mulier*, *virgo*, quam in illis, *virilis*, *muliebris*, *virgineus*? Discrimen ſane inter utrumque genus nominum eſt, ſed longe aliud, quam quod iſti nimis leviter tetigere. Scilicet tria tantum proprie ſunt nominum genera, prout aut una certa res, aut multae, aut multae in unum genus coniunctae deſignantur. Nam quum nomen ſubiecti ſignum ſit, ſubiecto autem id contineatur, quod quantitatem cogitationum philoſophi vocant, id eſt, rem et materiam ipſam, de qua quid dicitur: facile patet, nominis naturam diviſionesque e quantitatis ratione petendam eſſe. Non ſum neſcius fore, quibus haec initio aut falſa, aut mira certe videantur. At nimirum non eſt hic de numero cogitandum, qui quidem in omni nominum genere locum habet, ſed ſola ſpectanda eſt notio, quae cuiusque generis nominum propria eſt. Hoc enim contendo, aliorum nominum notionem eiusmodi eſſe, ut non niſi de una poſſint ac certa definitaque re intelligi, quod genus vocatur NOMINA PROPRIA, ut *Cicero*, *Cicerones*; aliorum porro nominum eam eſſe notionem, quae quia incertum ambitum habet, natura ſua ad multas res pertinet, quarum non eſt definita multitudo; eaque ſunt NOMINA ADIECTIVA, ut

utile, *utilia*. Intelligitur enim aliquid utile, aliqua utilia, sed, nisi aliud nomen accesserit, non constat, utrum una tantum res utilis, an quaedam, an omnes isto nomine notentur. Alia denique nomina hanc habere dico notionem, quae multas res in unum genus collectas significet: quae NOMINA APPELLATIVA sunt, ut *scriptor*, *scriptores*. His enim nominibus neque una quaedam singula res, neque incerta rerum multitudo, sed finita et ab omni parte absoluta notio significatur, quae quum e pluribus rebus collecta sit, eas res, unde collecta est, comprehendit omnes.

Hae vero nominum differentiae non prohibent, quo minus aliud nominis genus pro alio adhibeatur. Nam in hac nominum permutatione unumquodque nomen significationem induit eius nominis, cuius locum sustinet, ut in his: *hic est Cicero*, *utilia sunt exoptanda*, *Cicero fuit scriptor*. In quorum exemplorum primo et tertio nomen substantivum *Cicero* et appellativum *scriptor* conditionem tantummodo indicant, quae possit alicuius hominis, vel aliquorum hominum esse conditio, quae est nominum adiectivorum vis. In secundo autem exemplo nomen adiectivum *utilia* appellativi vice fungitur, eoque non incertam rerum multitudinem, sed certam definitamque complectitur. Quare Graecorum lingua in tali permutatione nominum, ut Germanorum aliorumque populorum linguae, adiectivo nomini addit articulum: τὰ ὠφέλιμα αἱρετά.

Nominibus adnumerari debent participia, quae quum notionem conditionis alicuius contineant, quae quarum rerum conditio sit, per se non intelligatur, in nominibus adiectivis ponenda sunt, sic quidem, ut a caetera adiectivorum multitudine eo differant, quod significationem adiunctam habe-

sint temporis, quo quid aliqua conditione sit praeditum.

Cap. V.

De numero, genere, casu et personis generatim.

Non est obscurum, multa in linguarum conformatione originem debere subtili hominum animadversioni, quae etiam illa, quae minus necessaria sunt, commoditatis caussa formis quibusdam et flexionibus vocum studuerit exprimere. Ex eo genere in nominibus quidem quatuor maxime res sunt, numerus, genus, casus, personae. Scilicet haec quoque formarum nominis divisio quamdam habet idoneam rationem. Nam quum in omni notione haec quatuor spectentur, quantitas, qualitas, relatio, modus cogitandi, unicuique harum rerum sagax mentis indagatio suas destinavit formas, quantitati numerum, qualitati genus, relationi casum, modis personas.

Cap. VI.

De numero.

Ac numerus quidem quantumuis videatur necessarius esse, quis tamen negare ausit, carere eo linguas potuisse, si numeri nota peculiari vocabulo comprehensa cuique nomini adderetur? Sed com-

modius fore atque aptius visum est, si ipsa nominum forma numerum indicaret. In ea re autem hoc merito quaeri potest, quid sit, quod, quum numerus triplex sit, unius, plurium, et omnium, duae tantum in plerisque linguis reperiantur numeri notae, singularis et pluralis. Eius rei duae potissimum videntur caussae exstitisse: prima, quod, quae sint omnia, pro multiplici rerum cogitandarum ratione, admodum incertum est atque ambiguum. Nunc enim omnia intelligimus cuncta, quae sunt in aliquo rerum genere; nunc horum quaedam tantummodo, quae certa quadam ratione spectentur; nunc ea solum, de quibus loquimur; et sic alia aliter. Quae quum non viderentur satis commode una quadam et constante nominum forma exprimi, factum puto, ut mallent linguarum inventores ipsum hoc nomen *omnia* addere, cui si deinde alia quaedam adiicerentur vocabula, facillime poterat et aptissime intelligi, quae quoque in loco omnia dicerentur. Alteram caussam omissi numeri omnium hanc fuisse arbitror, quod etiam sine isto additamento *omnia* plures reperiebantur atque aptissimae rationes istius exprimendi numeri. Ex quo genere sunt nomina, quae collectiva vocantur, ut quum pro hoc, *omnes homines*, dicitur *genus humanum*; deinde apud Graecos quidem et Germanos aliasque gentes usus articuli, ut ἄλλοι et ἄνθρωποι *alios aliquos* et *homines aliquos* significat, οἱ ἄλλοι autem et οἱ ἄνθρωποι *caeteros omnes* atque *homines omnes* notat.

Graeci tamen aliquod certe genus formae nominum habent, quo numerus omnium indicetur: isque dualis est. Nam numerus dualis quum et plurium sit quam unius, nec possit plura recipere quam duo, absolutam quamdam continet et unitate

quadam comprehensam multitudinem, quae ipsa est notio numeri omnium. Omnia enim dicuntur multa in unum coniuncta, ita ut plura esse nequeant. Sed sane iste numerus dualis mancus quidam numerus omnium est, quia non quamcumque, sed definitam tantum multitudinem complectitur. Eodemque modo aliae effingi formae potuissent, quae tria, quatuor, et quamcumque certam multitudinem unitate quadam comprehenderent.

Cap. VII.

De genere.

Multo minus, quam numeri formas, necessarium esse genus nominum vel ex eo patet, quod nulla in re magis non solum diversae linguae, quam in genere nominum, dissentiunt, sed una etiam eademque lingua fluctuat. Quin quaedam linguae, ut Lapponica et Hungarica, generis discrimine omnino carere dicuntur. Est autem generis nominum origo minime, ut Hassius existimat, in valentiae rerum ac debilitatis observatione quaerenda: quod vel eo clarum est, quod haec ipsa valentiae, virium, fortitudinis et similium rerum nomina in plerisque linguis eo genere sunt, quo istarum rerum omissio detractioque, si vera esset illius sententia, significari debuissent. Immo haud dubie primam caussam generis nominum distinguendi hominum sexus praebuere caeterorumque animantium. Quorum quum mares alia nominum forma ac feminae notari coepissent, fieri non potuit, quin deinde caetera nomina omnia aut iisdem for-

mis inſignirentur, aut, ſi alias formas haberent, hae ipſae formae quum nec marem nec feminam ſignificarent, neutrius generis haberentur. Sed iſta nomina, quae maſculini ſunt et feminini generis, quum ſexus non cadat in res iſtis nominibus notatas, quis tam ſit inficetus, ut putet conſilio et quadam ſubtili cogitatione potius hac quam illa generis forma praedita eſſe? Immo credibile eſt, initio omnes nominum formas generis ſignificatione caruiſſe, quam ſerius demum, ſexuum obſervata diverſitate et in linguas introducta, acceſſiſſe probabile eſt. Id certe arguere videntur tum ea nomina, quae formam eamdem, genus autem diverſum habent, tum illa, in quibus forma alii generi deſtinata cum diverſo genere coniuncta eſt, ut ἡ ὁδὸς, tum denique multae nominum diverſi generis conſociationes, in quibus alterum genus ſusque deque habetur, ut τύχη σωτὴρ, πυραὶ τελεσθέντες, θεαὶ ἔχοντες, et alia huiuscemodi. Ac quis negabit genus nominum prope ſuperfluum eſſe, quandoquidem iis rebus, in quibus ſexuum diverſitas nulla cernitur, genere non eſt opus, iis autem, in quibus cernitur, non magis opus eſt, quia, vir ſit an femina, de quo quis loquitur, ex ipſa nominis vi et ſignificatione, etiam absque notatione generis, pateat neceſſe eſt?

Sed, quod ſupra dictum eſt, qualitati notandae inſervire genus, id eſt huiusmodi. Qualitatem notionum dicunt philoſophi conſociationis praedicatorum cum ſubiectis vel affirmationem, vel negationem, vel limitationem. Itaque nominum qualitas poſita eſt vel in acceſſione, vel in detractione, vel in limitatione praedicati alicuius. Id quidem quale praedicatum eſſe debeat, ex ipſa nominum notione non poteſt intelligi. Sed ſup-

peditavit hoc experientia. Itaque masculinum genus quum ubique primum locum teneat, nomina masculina accessionem huius praedicati significabunt; feminina autem, ut masculino generi contraria, detractionem eius; neutra denique, ut quae neutrum horum sint, limitationem generis indicabunt.

Cap. VIII.

De casibus.

Declinationem nominum quaedam linguae per additas particulas faciunt: magnum documentum, flexionibus verborum non esse opus, nisi ad commoditatem. Sed hae quoque linguae quosdam certe casus ipsa nominum forma designant. Graecorum vero Romanorumque linguae omnem declinationem casibus faciunt: in qua re hoc merito mirum est, dignumque subtiliori perverstigatione, quid sit, quod casus reperiantur omnino sex, si quidem sextum casum recentior Latinorum sermo adiecit. Etenim ne hoc quidem videtur sine ratione evenisse, ut, quum utraque lingua initio quinque tantum casus habuisset, numerus tamen non cresceret ultra sextum casum. Sed in appellationes quidem istorum casuum intuenti vix quidquam apparebit, unde, quae vera eorum ratio sit atque natura, liceat colligere. Quippe nomina rudi observatione indita fuere ex eo, quod in quoque casu aut frequentissimum videretur esse aut primarium; exemplaque significationum continentur istis appellationibus, non caussae atque origines. Servanda tamen sunt nomina, multarum

aetatum usu trita et confirmata, dum veram casuum vim potestatemque clare liceat perspicere. Atque equidem arbitror, obscuram illam veri praesagitionem, cuius ubique in linguarum conformatione vestigia apparent, vel maxime etiam in casuum inventione esse conspicuam, quandoquidem nec plures esse, quam sex casus, possunt, nec pauciores esse debent. Id quod ex accurata naturae casuum pervestigatione manifestum fore arbitror. Nam casibus, ut supra dictum est, relatio indicatur notionis eius, quae nomine comprehensa est. Relationem autem philosophi vocant eam rationem, qua notiones inter se copulatae sunt atque consociatae. Eaque triplex est, prout aut inhaerentia continetur, aut consequutione, aut communione. Inhaerentia dicitur, qua quid aut substantia est, aut accidens; consequutio, qua quid aut caussa est, aut effectus; communio denique, qua partes mutuo efficientiae nexu coniunctae sunt. Hae igitur relationum diversitates quum essent casibus exprimendae, duo tamen praeterea modi erant, quibus quaeque notio relationis habita ratione spectari posset. Qui modi quia primi sunt maximeque omnium simplices, ab iis ordienda videtur casuum explicatio. Quare autem tres modi sint, qui in casibus spectari debeant, caussa similis est, ut quam supra in personarum ratione indicavimus. Nam quaeque res aut ut per se exstans cogitatur, aut ut possibilis, id est, ut eo exstans, quod cogitatur ab aliquo, aut ut necessaria. Talis igitur etiam relatio notionum est. Nam quatenus aliquid non ad alias res refertur, tamquam per se constans cogitatur; quatenus autem ad cogitantem aliquem refertur, cogitatur ut pendens ex huius cogitatione; quatenus denique refertur ad alias res, necessitas

quaedam cogitatur, qua ab aliis rebus quamdam conditionem accipiat.

Igitur primum quaeque notio, quae aliquo nomine comprehenſa eſt, nuda per ſe cogitari poteſt. Isque modus exprimitur caſu NOMINATIVO, quo nihil niſi ipſa nominis notio, eaque omnis relationis expers, indicatur.

Deinde quaevis notitia referri poteſt ad mentem ſenſumque eius, qui de ea cogitat loquiturve: quam ſubiectivam relationem philoſophi vocant. Ea vero exprimitur caſu VOCATIVO, quo nihil ſignificatur praeter ſenſum quemdam loquentis notione aliqua cogitanda commotum.

Tertio denique loco ſequuntur illae, de quibus ſupra diximus, ipſarum notionum inter ſe relationes: quod genus obiectivam relationem appellant philoſophi. Huic aſſignati ſunt reliqui caſus hoc ordine.

Primum ſubſtantia deſignatur caſu GENITIVO, ut quum dicimus, *Athenienſium reſpublica.* In quibus verbis genitivus *Athenienſium* Athenienſes ut ſubſtantiam cogitare iubet, cuius, quod deinde additur, *reſpublica*, accidens eſt. Illud vero in hac re magnopere cavendum eſt, ne quis obſcura quadam et moroſa ſubtilitate adhibenda ad inutiles diſputatiunculas delabatur, ut ſi quis ex noſtra genitivi explicatione non recte dici putaret hoc, *Philippi filius Alexander*, quia Philippus pro cauſſa quidem, qua natus eſſet Alexander, haberi poſſet, pro ſubſtantia autem, cuius quaſi accidens eſſet filius, non poſſet. Enim vero in ſermone non ſemper ſpectanda eſt rei ipſius, de qua loquimur, natura atque conditio, ſed illud in primis videndum eſt, qua ratione quaeque notio quoque in loco

et sermone considerari debeat. Nam sane re ipsa nihil interest utrum Alexandrum Philippi filium, an creatum Philippo dicas. Verum qui Philippo creatum dicit, caussam exstitisse Philippum significat, quare nasceretur Alexander; qui autem Philippi filium vocat, hoc tantum indicat, in iis rebus, quae Philippi sint, atque ad Philippum tamquam accidentes pertineant, esse Alexandrum. Quamobrem qui genitivi casus vim recte perspicere vult, ad hoc potissimum debet animum advertere, quod, quotiescumque aliquod nomen genitivo casu adhibetur, semper res ita cogitatur, ut ex ea pendeat alia res tamquam aliquid accessorium, ipsa autem ex nulla re pendeat, sed sola per se constet.

Plane contraria ratio cernitur in eo casu, quo accidentia, quae dici solent, notantur. Isque est ACCUSATIVUS. Ut in hoc exemplo, *teneo librum.* Quo significatur, librum esse accidens eius, qui tenet. Est autem in hoc quoque casu, ut in caeteris omnibus, eadem illa cautio adhibenda, de qua diximus in genitivi explicatione. Neque enim res ipsa, de qua quis loquitur, qualis sit, quaerimus, sed quo pacto cogitetur. Atque accusativum consideranti pateat necesse est, quotiescumque hic casus adhibetur, rem ita cogitari, ut nulla sui parte libera sit et suapte quadam vi ac potestate constet, sed penitus atque omnino pendeat ex alia re. Sic etsi re ipsa nihil differunt, *donare alicui aliquid,* et, *donare aliquem aliqua re,* longe diversa tamen ratione utrumque cogitatur. Nam cui aliquis aliquid donat, is etsi, quatenus ei aliquid donatur, quodammodo pendet ex donante, simul tamen in ipso illo donandi negotio ut liber ab alieno arbitrio cogitatur. Quem vero ali-

quis aliqua re donat, is, quatenus eum aliquis donat, penitus fingitur huius arbitrio et voluntati fubiectus.

Sequitur ordine cafus ABLATIVVS, cuius haec vis eft, ut cauffam notet. Sic in hoc exemplo, *occidere ferro*, quo fignificatur, ferrum cauffam effe atque inftrumentum, cuius vi aliquis occidatur. Atque huius quidem cafus fignificatio adeo videtur clara effe, ut uberiore explicatione non indigeat.

Simillima eft DATIVI cafus ratio, qui poftremum locum tenet. Hic quidem cafus effectum notat, ita ut rem defignet, in qua cernatur effectus: ut in hoc exemplo, *fcribere alicui*. Nam ei, cui fcribitur, accidit aliquid, quod ille patiatur neceffe eft, eoque is effici in fe aliquid fentit. Atque ita fe res habet in omnibus dativi cafus exemplis. Sed fortaffe mirum videbitur, quod neque ablativus cafus cauffam ipfam, nec dativus ipfum effectum notet, fed uterque cafus rem tantum fignificet, qua aliquid fiat, aut in qua aliquid fiat. At vero hoc quare ita fit, facile poteft demonftrari. Nam ipfa cauffae atque effectus nomina quum nihil aliud, quam mutationem, fignificent, quae neque oritur, nifi ex re aliqua, neque cernitur, nifi in re aliqua: id ipfum neceffario exigunt, ut verborum formae, quibus cauffa atque effectus indicantur, non nifi rem, cuius vi aliquid fiat, et rem, cuius conditio mutetur, defignent.

Iam vero etiam intelligere licet, qui factum fit, ut ablativus cafus et dativus in Graeca lingua et vetere Latina nullum formae difcrimen habeant. Nam vim quidem ifti formae, quae utriusque cafus communis eft, diverfiffimam ineffe facile

patet. Nimirum quia uterque caſus ad efficientiae rationem pertinet, manſerat hoc ex rudiore necdum ſatis culto ſermone, ut et efficientia et effecta eadem nominum flexione exprimerentur. Quarum rerum diſcrimen quum ſero tandem Romani animadvertiſſent, in quarumdam declinationum numero ſingulari caſum reſtituerunt eum, qui antea deſiderabatur. Ita culturae incrementa brevi anteceſſere totius linguae interitum.

Deinde hoc quoque iam clarum eſt, quare hi quatuor caſus, genitivus, accuſativus, ablativus, dativus, regi dicantur, nominativus autem et vocativus non poſſint regi. Etenim regi dicuntur ea nomina, quae certa quadam ratione ex aliorum verborum vi et ſignificatione pendent. Iſta autem ratio, qua ad alia verba referuntur, quum indicetur caſibus, regi dicuntur caſus ii, quorum adhibendorum neceſſitas in aliis verbis poſita eſt. Id vero facile intelligitur in his tantum caſibus locum habere, quibus notionum ipſarum mutua inter ſe neceſſitudo atque coniunctio exprimitur, non in illis caſibus, qui quia ad alias notiones aliaque verba non referuntur, non habent, unde pendere ac regi poſſint. In his igitur caſibus primo nominativus eſt, qui quia nudam tantummodo continet nominis notionem omni vacuam relatione, regi nullo pacto poteſt. Deinde autem etiam vocativus caſus ex hoc genere eſt. Qui quidem etſi refertur ad animum ſenſumque loquentis, non magis tamen, quam nominativus, regi poteſt, idque propter hoc ipſum, quod ad ſenſum loquentis animique affectionem, non ad notitias cogitationesque, et verba, quibus hae comprehendi poſſint, refertur, ex iisque pendet. Quod ſi is, qui loquitur, quem ſubiectum philoſophi vocant, ſui

ipsius sibi notitiam animo informat, ea re sibi ipse obiectum fit. Quare qui ante ad eum, ut ad subiectum, referebatur vocativus, nunc, ubi obiectum factus est loquens, non potest amplius vocativus esse, sed debebit in aliquem eorum casuum transformari, qui obiectivam relationem indicant. Id autem denique est regi.

Porro ex nostra casuum explicatione intelligi potest, quare eorum casuum, qui notionum ipsarum inter se relationem indicant, tres tantum possint cum nominibus construi, genitivum dico, et ablativum, et dativum; quartus autem, accusativus, non possit. Nam tres illi casus, quos dixi, eiusmodi sunt, ut substantiae notionem aut integram habeant, ut genitivus, aut eius partem certe aliquam conservent, ut ablativus, quo substantiam, quatenus eius vi aliquid efficitur, et dativus, quo substantiam, quatenus aliquid perpetitur, indicamus. Quo fit, ut hi casus per se constent, et, si aliud iis nomen addatur, cum eo unam notionem etiam absque copulae accessione constituant, ut *Atheniensium civitas*; *bello clarus*; *alicui auctor*. In his exemplis genitivus, ut substantiam significans, rem eo casu expressam per se constare postulat, ita quidem ut ei aliquid aliud tamquam accidens adiunctum significetur: *Atheniensium civitas*; ablativus autem quum vim notet substantiae, efficientem aliquid, non minus patitur rem hoc casu expressam, ut quae substantia sit, per se constare, ita quidem ut eius vi aliquid effici indicetur: *bello clarus*; denique dativus, qui mutationem notat accidentium substantiae, ipse quoque rem hoc casu expressam per se constare patitur, ita quidem ut accidentia eius aliena vi definiantur: *alicui auctor*. Accusativus contra, quo unice accidentia

significantur, non potest cum nomine solo construi, quia, quum substantiae notione destituatur, per se constare non potest, sed verbi accessione indiget. Nam quum accidentia rerum nihil nisi praedicata sint, praedicatum autem non nisi copulae, i. e. verbi auxilio cum subiecto coniungi queat, clarum est, accusativum ab solo verbo regi posse. Cum quo casu si quando nomen coniunctum reperitur, ut apud Plautum, *celatum indagator*, et apud Graecos etiam frequentius, facile intelligitur, ea accusativo adiecta nomina non fungi nominum, sed participiorum officio. Nec sane possunt cum hoc casu ea nomina coniungi, in quibus non est aliqua faciendi significatio.

Sed redeo ad tres reliquos casus. Ex iis genitivus non nisi cum nominibus appellativis coniungi potest. Id quod intelligitur ex iis, quae supra de nominum divisione disputavimus. Nam quum id nomen, quod genitivo additur, accidens aliquod significare debeat, id primo debet definitum esse. Pars enim est eius rei, cui adhaeret. Definitus autem ambitus est nominum propriorum et appellativorum. Sed debet etiam indefinitum esse, quia, ut accidens, conditionem aliquam notare debet, quae esse potest etiam aliarum rerum conditio. Atqui nomina propria nullam notant conditionem. Nam etsi plerumque ducta sunt ab aliqua conditione, simulatque tamen nomina propria fiunt, continuo eam significationem deponunt: quippe nihil iis indicatur, quam hunc esse aliquem, non alium. Itaque sola nomina appellativa remanent, quae addi possint genitivo. Nam haec et conditionem indicant, quia infinita significatione sunt, et partem notant, quia infinitam istam significationem in unam notionem collectam habent, ut *Athenien-*

ſium civitas. Civitas enim et civile aliquid notat, ideoque infinitae ſignificationis eſt, et illud civile una notione comprehendit, quo definitum ſit, et partem ſignificare poteſt. Quare nec dici poteſt *Athenienſium civilis*, nec *Spartanorum Lycurgus*, ſed addendum eſt aliquid, quo aut infinitae ſignificationis nomen certis finibus includatur, *Athenienſium civilis conditio*, aut definito nomini aliquid indefiniti, quo accidens ſignificetur, accedat, *Spartanorum legislator Lycurgus.* Hinc patet illa, *artium peritus*, *animi impotens*, et ſimilia eodem abuſu nominum dici, ut *celatum indagator.* Proprie enim ſic dicenda ſunt, *artium peritiam habens*, *animi potentia deſtitutus.*

Ablativus autem et dativus neceſſario nomen adiectivum requirunt. Nam uterque caſus quum ad ſolam accidentium mutationem ſpectet, fieri non poteſt, quin ad ſola nomina adiectiva referatur. Haec enim quia infinitae ſignificationis ſunt, nihil niſi conditionem notant, nec per ſe conſtare poſſunt, niſi addito nomine proprio aut appellativo. Conditio autem eſt accidentium. Itaque ablativus cauſſam ſignificat, unde aliqua orta ſit conditio, ut *bello clarus.* Dativus autem rem indicat, in qua effecta ſit aliqua conditio, ut, *alicui benignus.* Illud autem in hac re meminiſſe oportet, quod ſupra iam obſervatum eſt, nominum, de quibus loquimur, vim et ſignificationem ſpectandam eſſe, non formas. Patet enim in huiusmodi exemplis, *indole rex*, *afflictis adiutor*, *eloquentia mihi Cicero*, nomina appellativa et propria *rex*, *adiutor*, *Cicero* vim habere adiectivorum.

Denique ex illa, quam expoſuimus, caſuum natura explicari poteſt etiam accuſativi cum infini-

tivo usus. Nam in illa constructione res ea, quae accusativo casu exprimitur, semper aliquod accidens, i. e. conditionem aliquam notat, ut, *bonum esse*, *consulem esse*, *Ciceronem esse*. Atque hic accusativus neque ex infinitivo pendet, quod ex his ipsis exemplis patet, in quibus verbum *esse*, nullum casum regens, additum est; neque pendet aliunde, quia tota formula nominativo casu exprimi potest, ut, *laus est*, *fortem esse*;

> *ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ᾽ ἐστίν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί,*
> *δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.*

Hinc licet intelligere, casum accusativum propterea ad hanc loquutionem adhiberi, quia hic solus ex reliquis casibus facit, ut res eo casu expressa tamquam accidens cogitetur. Illud nemo puto obiiciet, quod in illa formula etiam subiectum accusativo casu nominetur, ut *hunc esse bonum*, *fuisse Troianos*. Manifestum est enim, accusativum praedicati caussa, non caussa subiecti adhiberi, quia dici potest etiam hoc modo, *opinio est de hoc*, *bonum esse*; *fama est de Troianis*, *fuisse*, i. e. *exstantes fuisse*. Verbo enim continetur praedicatum. Igitur concinnitatis caussa obtinuit, ut subiectum eodem casu proferretur, quo praedicatum. Similiter reliqui modi, quibus ista formula variari solet, usu paullatim ab sua origine deflexerunt: *λέγεται καλὸς εἶναι*; *αὐτὸς ποιῆσαί φησιν*;

> *ὦ φίλτατ᾽ ἀνδρῶν προσπόλων, ὥς μοι σαφῆ*
> *σημεῖα φαίνεις ἐσθλὸς εἰς ἡμᾶς γεγώς.*

Quorum Latini primum ubique, reliquos non nisi in versibus sequuti sunt: *dicitur pulcer esse*; *ipse fecisse dicit*;

> *sensit medios delapsus in hostes.*

Quae ſi ad originem ſuam revocentur, hanc vim habebunt: *ὁ καλὸς λέγεται εἶναι καλόν; αὐτός φησι, ποιῆσαι αὐτόν; ἐσθλὸς εἰς ἡμᾶς γεγὼς σαφῆ σημεῖα φαίνεις, ἐσθλὸν εἰς ἡμᾶς γεγονέναι; pulcer dicitur pulcrum eſſe; ipſe dicit, ipſum feciſſe; medios delapſus in hoſtes ſenſit, delapſum in hoſtes eſſe.*

Sed tres poſuimus ſupra relationis notionum modos; primum inhaerentiae, cuius ſunt partes ſubſtantia et accidens, caſusque genitivus et accuſativus; ſecundum conſequutionis, ad quam cauſſa et effectus pertinent, et caſus ablativus ac dativus; tertium denique communionis, quae continetur mutua partium in unum quiddam totumque conſpiratione et coniunctione. Huic vero nullum caſum linguae aſſignarunt. Quod tantum abeſt ut mirum videri cuiquam debeat, ut, qui cauſſam eius rei indagare voluerit, recte ac neceſſario factum fateri cogatur. Nam ſi plures notiones in unam coguntur, clarum eſt, facta coniunctione iſtas notiones unius vicem notionis ſuſtinere. Ea vero quum per caſus illos, quos ſupra commemoravimus, et poſſit et debeat flecti, fieri non poſſet, ſi communio aliquo caſu exprimeretur, quin hic ipſe communionis caſus ſimul etiam reliquis caſibus eſſet flectendus, caſusque in caſu reperirentur. Recte igitur tantae cauſſa evitandae incommoditatis particulas eas, quae coniunctiones vocantur, ad communionem deſignandam linguae adhibuerunt. Quarum coniunctionum uſu hoc efficitur, ut plures notiones in unam coactae ſine ulla difficultate eodem modo, quo ſingula quaeque notio, tractari queant. Sic quum dicitur *ſenatus populusque Romanus*, nuda indicatur et relationis expers notio coniuncta e duabus aliis notitiis: cuius ſi aliae relationes ſignificandae ſunt, ca-

ſus adhibentur alii, ut, *ſenatum populumque Romanum*, *ſenatui populoque Romano.*

CAP. IX.

De perſonis.

Denique ſi modalitatem nominum ſpectamus, perſonae in iis conſpiciuntur: quae tantum abeſt ut verbis potiſſimum tribuendae ſint, in his ut non niſi propterea reperiantur, quod nominum, quae ſimul verbis continentur, propriae ſunt. Ac ſupra, quum de pronominibus diceretur, demonſtratum eſt, hanc eſſe propriam perſonarum vim, ut ſubiectum, de quo quis loquitur, aut ut vere exſtans ponant, quae tertiae perſonae natura eſt, aut, tamquam quod poſſit exſtare, ſumant, quod ſecundae perſonae eſt officium, aut denique ut neceſſario exſtans cogitare iubeant, quae primae perſonae ratio eſt. Sed Apollonius Dyscolus in lib. III. de ſyntaxi p. 219. ea, quae proprie nomina vocantur, omnia dicit per ſe tertiae perſonae eſſe. Id ille et vere et docte adnotavit. Nam quum omnia nomina praeter alicuius conditionis notationem ſimul ſubiectum aliquod ſignificent, non poteſt illud ſubiectum non aliquam habere rationem ad animum cogitantis. Ea vero ratio nihil eſt aliud niſi perſonae notatio, aut vere exſtantis, aut poſſibilis, aut neceſſariae. Atqui quomodo prima aut ſecunda perſona nominibus per ſe contineri poterit? Prima quidem propterea non poterit, quia nihil cauſſae eſt, quare omnino aliquod ſubiectum praedicati alicuius acceſſione praeditum neceſſario cogi-

temus. Secunda autem perſona non magis poterit adhiberi, quia nihil poteſt antea tamquam poſſibile cogitari, quam vere aliqua eius notitia animo impreſſa fuerit. Remanet igitur neceſſario tertia perſona, qua aliquid vere cogitari indicatur. Nam cuiuscumque nominis notitiam animo concipiamus, id quum facimus, vere facimus. Atqui id proprium eſt tertiae perſonae, ut vere ponatur. Quamobrem in unoquoque nomine intelligitur pronomen tertiae perſonae, ut *Alexander*, *rex*, *magnus*, id eſt, *aliquis Alexander*, *aliquis rex*, *aliquis magnus*. Quod ſi dicimus *tu Alexander*, *ego Alexander*, id nihil eſt tamen aliud, quam *tu aliquis Alexander*, *ego aliquis Alexander*. Hanc enim notitiam, *Alexander*, ponimus ita, ut ea ſit aliquid etiam ſine cogitatione noſtra. Perſonam autem non ita ponimus: nam quem *tu* vocamus, is *tu* dici non poſſet, niſi eſſet aliquis, qui eum appellaret. Quare quatenus *tu* dicitur, non exſtat ſine cogitatione alterius, ſed huius cogitationi illud debet, ut exſtet, id eſt, poſſibilis eſt. Poſſibilia enim ſunt, quae exſtant tantum in cogitatione noſtra. Quem autem vocamus *ego*, is pariter non, ut quem dicimus *Alexandrum*, ſine cogitatione noſtra exſtat, ſed quia eum cogitamus, eo ipſo exſtat, qui cogitare ſe non poſſet, niſi exſtaret. Id eſt, neceſſario exſtat.

Cap. X.

De particulis generatim.

Secundum genus partium orationis particulae ſunt, de quibus obſcurius etiam et perverſius

exposuerunt grammatici, quam de nomine. Etenim hoc quidem intellexerunt, quatuor esse particularum genera, adverbia interiectiones, praepositiones, coniunctiones: verum quae cuiusque horum generum natura, quodque discrimen esset, adeo videntur ignorasse, ut non modo definitiones proferrent minime claras aptasque, sed etiam multas particulas in aliis, quam in quibus debebant, generibus numerarent. Quo magis operae pretium facturus mihi videor, si hunc locum omnem clare ac perspicue pertractavero.

Ac supra dictum est, particulas signa esse praedicatorum, ob eamque rem conditionem tantummodo exprimere. Poterunt autem voces, quibus rerum conditiones indicantur, quatuor modis considerari, prout aut conditionem quantitatis notitiarum, aut qualitatis, aut relationis, aut modalitatis significant.

Ac primum quam diximus quantitatis conditionem, ea fortasse notio ipsa secum pugnare videbitur, quandoquidem quantitatis conditio aut nihil est, aut ipsa quantitas. Enimvero si ita haec conditio quantitatis intelligeretur, perabsurda exiret sententia. Verum longe aliud est, quod volumus. Nam si qua vocabula conditionem alicuius quantitatis significant, id patet non posse aliam vim habere, nisi hanc, ut conditione indicanda simul res ipsa indicetur, cuius ea conditio sit. Atqui id non potest aliter fieri, nisi si ea res ipsa sit aliqua conditio. Et sane occurrit hoc genus conditionis in ipsis animi humani affectionibus, quibus commoti quum in vocem aliquam certa notione carentem erumpimus, simul et modum affectionis, et ipsam affectionem indicamus, ut ὢ, φεῦ, ἰού. Quo fit, ut huiuscemodi voces

ſine aliorum auxilio vocabulorum intelligi queant, quod non ita eſt in reliquis particularum generibus, quae quia non incluſam in ſe habent notitiam quantitatis, id eſt rei, cuius ſit illa, quam ſignificant, conditio, non poſſunt intelligi, niſi alicuius rei nomen adiungatur. Iſtae igitur voces, quae animi affectiones ſine explicata quapiam notione indicant, INTERIECTIONES appellantur.

Deinde quod ad qualitatis conditionem attinet, haec in eo poſita eſt, ut earum notionum conditio eſſe cenſeatur, quae ſolam qualitatis ſignificationem habent. Hae autem ſunt, quae praedicata rerum appellantur. Ac praedicatorum conditionem quae particulae ſignificant, eae vocantur ADVERBIA.

Porro relationis notitiarum inter ſe conditio quibus particulis indicatur, eae rationem ſignificare debent, qua diverſae notitiae inter ſe cohaereant, ita quidem, ut iſte notitiarum nexus rebus ipſis, non animo notitias coniungenti, tribuatur. Eae vero particulae PRAEPOSITIONES appellantur.

Denique modalitatis cogitationum conditionem particulae exprimunt illae, quibus ratio indicatur inter cogitationes et animum cogitantis intercedens. Neque enim pertinent ad nexum rerum ipſarum inter ſe, ſed ad conſociationem notionum eam, quam mens cogitando inſtituit, alia ut vera, alia ut probabilia, alia ut neceſſaria ponens. Atque hunc uſum quae praeſtant particulae, CONIVNCTIONES nominantur.

Cap. XI.

De adverbiis.

Dicam nunc de ſingulis particularum generibus. Atque interiectiones quum nihil difficultatis habeant, ſtatim ad adverbia transgrediendum videtur. Horum plurimas diverſitates poni videmus ab iis, qui de Graeca grammatica expoſuerunt. Quarum diverſitatum prorſus temere et ſine conſilio facta eſt collectio atque enumeratio. Nam non ſolum cauſſa diviſionum nulla ab iſtis allata reperitur, ſed etiam quae unius generis adverbia ſunt, diverſorum, quae diverſorum ſunt, unius fecerunt. Ea vero perturbatio ſic videtur tollenda eſſe, ut, ſi quidem omnino aliqua opus eſt adverbiorum diviſione, primum eam, quam materiam cogitationum philoſophi vocant, a forma diſtinguamus. Materiam enim cogitationum intelligimus res ipſas, quae cogitantur, formam autem modum, quo cogitantur. Itaque alia adverbia ad conditionem rerum ipſarum, alia ad conditionem iudiciorum enunciationumque ſpectabunt.

Atque illa quidem adverbia, quae conditionem rerum ipſarum continent, duorum ſunt generum. Quoniam enim omnis experientia colligitur loci ac temporis notatione, alterum genus horum adverbiorum ad ipſas loci ac temporis deſcriptiones ſpectabit, alterum autem conditiones rerum complectetur, quarum notitias in ſpatio ac tempore accipimus.

Igitur primum genus eſt adverbiorum loci ac temporis, in quo mira cernitur grammaticorum inconſtantia ac perverſitas. Nam quum adverbia

ἐνταῦθα, ἐκεῖ, atque alia, merito adverbiis loci adnumerarent, alia temere aliis titulis donarunt, ut ὧδε, ἐνθάδε, quae vocant adverbia demonſtrandi, vel πόθεν, ποῦ, ποῖ, πῇ, quae interrogandi adverbia dixerunt. Quaſi vero aliquid ad ſignificationem naturamque adverbiorum conferat interrogationis acceſſio detractiove. Nam qui minus adverbium loci ſit ἐνταῦθα, ſive eo demonſtres locum ſimpliciter, ſive interroges, hiccine locus ſit? Eodem modo πότε, πηνίκα, atque alia inter adverbia temporis numerari debent. Contra ex his alia deleri debent, quae peſſime ſunt inter temporis adverbia collocata, quum non tempus, ſed longe aliam conditionem indicent, ut ἀκαίρως, εὐκαίρως, quae ſunt qualitatis adverbia.

Alterum genus ea complectitur adverbia, quae rerum aliquam in tempore ac ſpatio occurrentium conditionem indicant. Eaque adverbia qualitatis vocantur, ut εὖ, καλῶς. Horum quoque ingens copia a grammaticis alieno loco collocata eſt, ut πολλαχῶς, ποσαχῶς, μοναχῶς, διχῆ, ἄνδιχα, διάνδιχα et ſimilia, quae iſti vocant adverbia numeri; porro πανοικί, πανστρατί, quibus etſi collectio quaedam ſignificatur, unde ab iſtis dicuntur adverbia congregandi, tamen qualitatis adverbia exiſtimari debent, quia non ſimpliciter aliquam collectionem, ſed certarum rerum conſociatione ortam conditionem notant. Eodem modo, quae ſimilitudinis adverbia a grammaticis dicuntur, ὡς, ὥς, καθώς, ὥσπερ, καθάπερ, τώς, οὕτως, οἱονεί, πῶς, et alia, manifeſto qualitatis adverbia ſunt. Denique ad idem genus adverbiorum referendae ſunt, quae perperam a quibusdam dicuntur praepoſitiones inſeparabiles, ἀρι, ἐρι, βου, βρι, δα, ζα, λα, λι, νε, νη, δυς, ἀ: e quibus λα et λι

Cap. XI.

De adverbiis.

Dicam nunc de ſingulis particularum generibus. Atque interiectiones quum nihil difficultatis habeant, ſtatim ad adverbia transgrediendum videtur. Horum plurimas diverſitates poni videmus ab iis, qui de Graeca grammatica expoſuerunt. Quarum diverſitatum prorſus temere et ſine conſilio facta eſt collectio atque enumeratio. Nam non ſolum cauſſa diviſionum nulla ab iſtis allata reperitur, ſed etiam quae unius generis adverbia ſunt, diverſorum, quae diverſorum ſunt, unius fecerunt. Ea vero perturbatio ſic videtur tollenda eſſe, ut, ſi quidem omnino aliqua opus eſt adverbiorum diviſione, primum eam, quam materiam cogitationum philoſophi vocant, a forma diſtinguamus. Materiam enim cogitationum intelligimus res ipſas, quae cogitantur, formam autem modum, quo cogitantur. Itaque alia adverbia ad conditionem rerum ipſarum, alia ad conditionem iudiciorum enunciationumque ſpectabunt.

Atque illa quidem adverbia, quae conditionem rerum ipſarum continent, duorum ſunt generum. Quoniam enim omnis experientia colligitur loci ac temporis notatione, alterum genus horum adverbiorum ad ipſas loci ac temporis deſcriptiones ſpectabit, alterum autem conditiones rerum complectetur, quarum notitias in ſpatio ac tempore accipimus.

Igitur primum genus eſt adverbiorum loci ac temporis, in quo mira cernitur grammaticorum inconſtantia ac perverſitas. Nam quum adverbia

ἐνταῦθα, ἐκεῖ, atque alia, merito adverbiis loci adnumerarent, alia temere aliis titulis donarunt, ut ὧδε, ἐνθάδε, quae vocant adverbia demonſtrandi, vel πόθεν, πῦ, ποῖ, πῇ, quae interrogandi adverbia dixerunt. Quaſi vero aliquid ad ſignificationem naturamque adverbiorum conferat interrogationis acceſſio detractiove. Nam qui minus adverbium loci ſit ἐνταῦθα, ſive eo demonſtres locum ſimpliciter, ſive interroges, hiccine locus ſit? Eodem modo πότε, πηνίκα, atque alia inter adverbia temporis numerari debent. Contra ex his alia deleri debent, quae peſſime ſunt inter temporis adverbia collocata, quum non tempus, ſed longe aliam conditionem indicent, ut ἀκαίρως, εὐκαίρως, quae ſunt qualitatis adverbia.

Alterum genus ea complectitur adverbia, quae rerum aliquam in tempore ac ſpatio occurrentium conditionem indicant. Eaque adverbia qualitatis vocantur, ut εὖ, καλῶς. Horum quoque ingens copia a grammaticis alieno loco collocata eſt, ut παλλαχῶς, ποσαχῶς, μοναχῶς, διχῆ, ἄνδιχα, διάνδιχα et ſimilia, quae iſti vocant adverbia numeri; porro πανοικί, πανστρατί, quibus etſi collectio quaedam ſignificatur, unde ab iſtis dicuntur adverbia congregandi, tamen qualitatis adverbia exiſtimari debent, quia non ſimpliciter aliquam collectionem, ſed certarum rerum conſociatione ortam conditionem notant. Eodem modo, quae ſimilitudinis adverbia a grammaticis dicuntur, ὡς, ὥς, καθώς, ὥσπερ, καθάπερ, τῶς, ὕτως, οἱονεί, πῶς, et alia, manifeſto qualitatis adverbia ſunt. Denique ad idem genus adverbiorum referendae ſunt, quae perperam a quibusdam dicuntur praepoſitiones inſeparabiles, ἀρι, ἐρι, βυ, βρι, δα, ζα, λα, λι, νε, νη, δυς, ἀ: e quibus λα et λι

tolli vult Ruhnkenius in epist. crit. p. 86. seqq. Has quidem isti particulas a praeponendo praepositiones dixere, quod nomen servandum erat tertio generi particularum, quod relationis conditionem notat, casumque regit. Ab aliis vero hae voces merito adverbia inseparabilia dicta sunt. Eamdem enim prorsus, quam adverbia, vim habent, ut conditionem aliquam rebus adhaerentem significent.

Sequitur illud genus adverbiorum, quod pertinet ad formam cogitationum. Eiusque quadripartita divisio est pro quatuor partibus cuiusque cogitationis atque enunciationis, quantitate, qualitate, relatione, modalitate. Haec igitur adverbia, quae ipsarum cogitationum rationem et formam declarant, hanc vim habebunt, ut eorum ope intelligatur, quae singulares enunciationes sint, quae particulares, quae universales, deinde quae affirmantes, quae negantes, quae limitantes, tum quae declarantes, quae conditionales, quae copulativae ac disiunctivae, denique quae asserentes, quae dubitantes, quae cogentes ac vincentes.

Ac primum quod ad quantitatem attinet, ea declaratur adverbiis numeri, ut ἅπαξ, δίς, τρίς, πολλάκις, πάντως.

Deinde quae qualitatem enunciationum adverbia definiunt, eorum, quod affirmationem notet, unum tantummodo Graeca lingua habet, ναί, quod quidem ea vi non nisi in responsionibus praeditum est. Nam si μά additur, iam non simpliciter affirmat, verum fortius asserit, atque in coniunctionibus numeratur, de qua re dicetur suo loco. Negandi porro adverbia sunt ἐ et ἐχί, quae simpliciter negant, non ἐδαμῶς et alia, quibus asserendi vis inest. Denique adverbia limitandi, quorum

magna copia est, ut μόλις, λίαν, ἄγαν, σφόδρα, μᾶλλον, ἧσσον, μάλιστα, ἥκιστα, ὡς, quod quidem *quam* significet. Nam omnia adverbia, quae gradum aliquem notant, limitationem continent, quia omnis gradus ex affirmatione et negatione constat. Quae vis etiam in superlativo gradu, ut in μάλιστα, ἥκιστα, inest, qui quia semper ad aliquid refertur, quod minus sit, non est sine negatione. Etenim ut re ipsa multis in locis perinde sit, utrum *maxime*, an *omnino* dicatur: longe diversa tamen utriusque vocabuli vis et potestas est. Nam *omnino* quum dicimus, gradum omnem excludimus; *maxime* autem qui dicit, gradum significat, maiorem quidem caeteris gradibus cunctis, sed gradum tamen. Inde fit, ut, quod omnino est, non possit magis omnino esse; quod autem maxime est, id, si quid hoc maximo maius accedat, minus iam esse existimetur. Fluxum enim est et vagum, neque aliam ob caussam maximum putatur, quam quod alia omnia minora sunt.

Sequuntur adverbia relationem, quae in cogitationibus atque enunciationibus inest, indicantia. Horum quoque tria genera sunt pro triplici relationis diversitate. Ac primum quidem genus, quod pertinet ad enunciationes eas, quae categoricae a philosophis vocantur, declarandi adverbia continet. Scilicet harum enunciationum haec vis est, ut significent aliquid in aliqua re inesse eique inhaerere, ut, quum hac nota, quae rei alicui inhaeret, natura conditioque rei contineatur, nota possit rei vicem sustinere. Id igitur exprimitur declarandi adverbiis, ut ἤγουν, δηλαδή. Porro alterum genus spectat enunciationes hypotheticas, quae dicuntur, id est, conditionales, atque ad-

verbia complectitur consequutiva, ut πρῶτον, εἶτα, ἔπειτα, ἑξῆς, ἐφεξῆς, αὖψ, πάλιν. Horum enim omnium adverbiorum ea ratio est, ut adhiberi non possint, nisi si aliquid aut praecessisse, aut successurum esse sumatur, quo id, de quo quis loquitur, aut ut ad caussam suam, aut ut ad consequentiam, referatur. Denique tertium genus spectat ad consociationem disiunctionemque, quae in aliqua enunciatione insit. Atque hoc genus adverbia congregandi et separandi, quae dicuntur, comprehendit, ut ἅμα, ὁμῦ, ὁμῶς, συλλήβδην, ἄνευ, ἄτερ, χωρὶς, δίχα, πλήν. Nam perinde esse, utrum de coniunctione hic an de disiunctione cogitemus, iam supra adnotatum fuit, quia quaecumque disiunguntur, separari non possent, nisi essent una quadam communi notione comprehensa.

Postremo loco numerantur adverbia ea, quae ad modalitatem spectant, id est, quibus ratio ea indicatur, quae cuiusque cogitationis atque enunciationis est ad mentem ipsam persuasionemque cogitantis. Est enim omnium cogitationum enunciationumque haec ad cogitantis mentem ratio, ut aut verae habeantur, aut possibiles, aut necessariae. Ac veritas exprimitur adverbiis asserendi, ut ὄντως, πάνυ, πάντως, ἀληθῶς, κομιδῆ, ὀυδαμῶς. Haec quidem adverbia probe secernenda sunt ab affirmandi adverbiis. Nam quae affirmant, iis nihil praeter negationis detractionem continetur; illud autem minine spectatur, utrum vera sit enunciatio, an possibilis, an denique necessaria. Asserendi vero adverbia veritatem tantummodo enunciationum declarant, sive affirmatio, seu negatio, seu limitatio insit. Inde ὀυδαμῶς non minus asserendi adverbium est, quam πάντως. Enunciatio-

num possibilitas nullam habet difficultatem, quae exprimitur adverbiis dubitandi, ut ἴσως, τάχα, ὡς, quum quidem ὡς *circiter* significat. Denique vero necessitas enunciationum cogendi vincendique adverbiis designatur, ut πάντως, cuius adverbii varia et multiplex vis est. Nam et numerum indicat, et veritatem, et necessitatem, unde ter a nobis est diversis in locis commemoratum. Ad idem genus adverbiorum etiam adhortandi prohibendique adverbia referenda sunt, quibus necessitas non sane ex argumentis orta, sed voluntatis decreto constituta significatur, ut μάλιστα, μηδαμῶς.

Illud praeterea adnotandum est, quaedam verba, quae adverbiis vulgo adnumerantur, consulto ab nobis praetermissa esse, propterea quod non sunt adverbia, sed coniunctiones, ut ἤ, καὶ μά, οὐ μά, νή, δήπου, δήπουθεν, ἦ μήν, εἴθε, μῶν, ἆρα, ἦ: de qua re dicetur in disputatione de coniunctionibus.

Cap. XII.

De gradibus comparationis.

Sed antequam ad reliqua particularum genera accedamus, breviter dicendum videtur de gradibus comparationis. Hi enim proprii sunt adverbiorum. Nam quum adverbia conditionem qualitatis rerum notent, qualitatis autem sit gradibus distingui, in adverbiis quoque graduum comparationes reperiri necesse est. Nimirum gradus continetur limitatione praedicati, magis minusve in aliquam rem expetentis. Sunt autem merito tres tantum gradus,

primus positivus, ita dictus propterea, quod pro arbitrio cuiusque ponatur; secundus comparativus, eo, qui ante positus erat, maior; tertius denique superlativus, coniunctus ille e positivo et comparativo. Comparativus enim est, quoniam maior est aliis gradibus; positivus autem, quia cuiusque arbitrio ponitur, dum ne inferius ponatur. Quo fit, ut non plane supremum, sed omnino magnum aliquem gradum significet. Scilicet qualitas enunciationum in eo posita est, ut aut affirmatio alicuius rei ponatur, aut negatio, aut id, quod compositum est ex affirmatione et negatione, id est, limitatio. Sed erunt fortasse, qui hanc explicationem qualitatis non putent congruere cum significatione graduum comparationis, quandoquidem comparativus gradus non negationem, sed limitationem, superlativus autem affirmationem vel maxime continere videatur. At vero facile patet negationem et limitationem, quae in adverbiis est, non posse ad ipsam conditionem, quam adverbia significant, spectare. Nam haec si negaretur, periret vis et significatio adverbiorum, et alia essent substituenda adverbia. Quare necesse est, ut ad modum dumtaxat, quo aliqua conditio ponatur, spectent negatio et limitatio. Igitur positivus modus, quo aliqua conditio cum affirmatione ponitur, erit is, quo eam conditionem totam sine ulla detractione intelligimus, ut quum dicimus *bene*. Comparativus modus autem, quo conditio aliqua ponitur cum negatione, eam conditionem non debere totam intelligi indicat, ut quum dicimus *melius*. Nam quod melius se habet, id bene se habet, si ad alia minus bona, non item, si ad magis bona comparetur. Superlativus denique modus, qui et affirmationem et negationem continet, simul aliquam conditionem ut totam, simul ut non to-

tam ponit; non totam, quia refertur ad alia inferiora, totam autem, quia simul expers est relationis, ut quum dicimus *optime*. Optima enim sunt, quae quum sint meliora aliis, tum etiam sine comparatione aliarum rerum bona sunt. Inest ergo optimis limitatio, quia bona sunt eo, quod alia omnia minus bona sunt: quae si nulla essent, optima illa non essent optima; sin meliora, optima ne recte quidem bona forent. Quamobrem saepe multo maior vis positivo, quam superlativo inest. Sic in illo Odysseae XXIV. 39.

σὺ δὲ στροφάλιγγι κονίης
κεῖσο μέγας μεγαλωστί, λελασμένος ἱπποσυνάων.

Vbi nemo non sentiet, μέγιστος pro μέγας non potuisse sine magna sententiae debilitatione dici.

Sed supra diximus, Germanorum linguam saepe adverbiis uti, ubi Graeci Romanique nomina adiectiva usurpant. Hanc permutationem diversarum orationis partium patet e significationis affinitate nasci. Etenim nomina adiectiva eo tantum ab adverbiis differunt, quod praeter conditionis alicuius notationem simul rem aliquam, cuius ea conditio sit, indicant. Quamobrem sicuti in adverbiis comparationes graduum esse videmus, ita similis est nominum adiectivorum ratio.

Sed neque omnia adverbia, neque omnia adiectiva graduum comparationem admittunt. Quod quidem an temere et sine idonea ratione fieri putabimus? Minime vero. Etenim diligentius rem considerantibus perspicuum erit, quae adverbia et adiectiva comparationem graduum possint recipere, quae non possint. Erit autem haec quoque

disputatio ad ordinem illum quantitatis, qualitatis, relationis, et modalitatis instituenda.

Alia enim adverbia propterea nullam habent graduum comparationem, quia ipsa conditio, cuius notionem comprehendunt, expers est graduum. Cuiusmodi sunt numeralia, *semel*, *bis*, *ter*, *unice*.

Alia adverbia quia nihil nisi aut praesentiam aut absentiam alicuius conditionis significant, non magis possunt graduum notationem habere, ut haec duo, ναί et ἒ.

Aliis porro adverbiis conditio quidem aliqua exprimitur, sed quae non possit aliter, qualis sit, intelligi, nisi si ad aliam referatur conditionem. Quare quum prorsus incerta sit, non potest gradibus distingui. Talia sunt haec adverbia, ὡς, πῶς, ὅτως, et alia similia.

Denique ea adverbia, quae veritatis, possibilitatis, et necessitatis signa sunt, si comparationem graduum admitterent, non possent non suam naturam, quae omnem gradum ab se segregat, excludere. Eiusmodi haec sunt, ὄντως, ἴσως, πάντως, μηδαμῶς.

Adverbiorum rationem sequuntur nomina adiectiva. Nam ea tantum adiectiva graduum comparatione carent, quae formata sunt e pronominibus. Pronomina enim ab his adverbiis, quae modo enumeravimus, eo tantum differunt, quod ad notas illas, quae his adverbiis continentur, subiectum aliquod addunt. Quare quae hinc derivantur adiectiva, quum easdem notas significent, pariter carebunt comparatione graduum.

Huiusmodi igitur sunt primum adiectiva e pronominibus quantitatis formata, ut *primus*, *unicus*, *secundus*, *secundarius*, *multesimus*.

Deinde adiectiva, quae nafcuntur e pronominibus qualitatis, ut *ποῖος*, quum dicitur *ποιός τις*, quafi Latine dicas *aliqualis*.

Porro adiectiva, quae fiunt e pronominibus relationis, ut *qualis*, *talis*.

Denique adiectiva e pronominibus modalitatis orta, ut *fuus*, *tuus*, *meus*.

Cap. XIII.

De praepofitionibus.

Supra dictum eft, praepofitiones eo differre ab adverbiis, quod non conditionem rebus inhaerentem, fed rationem eam, qua quid ex alio pendeat, fignificent: quam rem relationem notitiarum appellamus. Igitur praepofitiones quum relationem notionum indicent, facile intelligetur, quare cafum regant. Etenim cafuum vis et virtus fimilem ufum, ut praepofitiones, habet: quippe cafus diverfas notionum inter fe relationes indicant, quarum ratio quum accuratius definiatur praepofitionum acceffione, clarum eft, quare praepofitiones non poffint cafu carere. Idque fic debet verum exiftimari, ut etiam adverbia, fi quando cafum regant, veluti *πρόσθεν*, *ὄπισθεν*, *χωρίς*, praepofitionum loco, non adverbiorum, habenda fint; praepofitiones autem ubi fine cafu funt, veluti *ἐν*, *σύν*, *πρός*, *intus* et *fimul* et *praeterea* fignificantes, adverbia, non praepofitiones, cenfere oporteat. Neque enim adverbiorum praepofitionumque vis ac poteftas forma verbi, fed ufu et fignificatione

continetur, ut idem verbum nunc adverbium existimari, nunc praepositio debeat.

Divisio autem praepositionum necessario tripartita est, propter tres modos relationis, quibus significandis inserviunt. Nam aut aliquid cum aliqua re ut accidens nexum esse ex eaque pendere indicant, quae vis est verbi caussa praepositionum ἐν, ἐπί dativo iunctae, ἀνά, ἀμφί, περί dativo iunctae et accusativo; aut caussae significant vel effecti consequutionem, ut ἀπό, ἐξ, ὑπό et πρός cum genitivo, ἕνεκα, ἐπί et μετά cum accusativo; aut denique communionem notant disiunctionemue, ut σύν, μετά cum genitivo et dativo, ἀμφί, περί, παρά et πρός cum dativo, παρά cum accusativo, quum significat *praeter*, πλήν, ἄνευ, et alia simili significatione casibus iuncta adverbia.

Caeterum in hac re non est obscurum, quare praepositiones non possint pro casuum, quos regunt, diversitatibus dividi. Quamquam enim casus eidem notitiarum relationi indicandae inserviunt, ad quam praepositiones adhibentur, praepositionum tamen vis non e casibus, quos regunt, sed e verbis, e quibus ipsae praepositiones pendent, explicanda est. Pertinet enim proprie praepositionum significatio ad conditionem relationis, quae est inter praedicatum et subiectum, id est ad copulam, quae verbum vocatur. Rem exemplo illustrabo.

Πολλὰ δ᾽ ὅγ᾽ ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν.

In his ἐν πόντῳ praepositio pertinet ad πάθεν: πάθεν ἐν πόντῳ. Ergo is, qui mala in mari perpessus est, cogitatur propter eam rem ut accidens aliquod maris, quae est vis praepositionis ἐν. Πόντῳ.

autem, ſive is dativus ſive ablativus eſt, non poteſt mare ut ſubſtantiam deſcribere, quia haec nec dativi neque ablativi vis eſt. Ergo hic caſus aliter erit explicandus. Ac patet, et dativum adhiberi potuiſſe, et, ut in Latino ſermone fit, ablativum. Nam ſi dativus eſt, mare cogitatur, ut cui aliquid accidat: accidit autem ei hoc, ut aliquis in eo iactetur; ſin eſt ablativus, cauſſa ſignificabitur, qua aliquid fiat: fit autem hoc maris ope, ut in eo aliquis eſſe, iactarique poſſit. Similis ratio illorum eſt, ὃν κατὰ θυμόν. Nam κατά proprie de loco dicitur, ut, quod ad ſummam ſententiae attinet, perinde ſit κατὰ θυμόν et ἐν θυμῷ: ſed cogitatur tamen aliter. Nam quum accuſativus accidentibus indicandis deſtinatus ſit, κατά ita dicetur cum accuſativo, ut hic caſus deſcriptionem alicuius ſpatii locique, tamquam accidens aliquod, adiungat. Ita ergo πάθεν ὃν κατὰ θυμόν animum ut accidentem notam eius, qui aliquid perpetitur, cogitare poſtulabit.

Non ſum neſcius, huiuscemodi explicationes non poſſe non ſubtiliores, quam veriores videri. At aut nihil omnino eſt caſus, aut obſcura animadverſione continetur relationis cuiusdam notitiarum. Quae animadverſio rectene ubique proceſſerit, an ſecus, id quidem nunc non quaero: ſed hoc tamen certum habere licebit, qui primi auctores exſtiterunt, ut aliis verbis vel praepoſitionibus alii caſus, aut iisdem verbis et praepoſitionibus diverſi caſus adiungerentur, id non facturos fuiſſe, niſi aliquid ad ſenſum intereſſe exiſtimaſſent. Id igitur quale fuerit, eruendum eſt, etiamſi, ut fit, non ſatis vere diſcrimina notata reperias.

CAP. XIV.

De coniunctionibus.

Poſtremum inter particulas locum tenent coniunctiones, quarum ea natura eſt, ut modos, quibus quaeque notitiae cogitentur, ſignificare debeant. Modi autem ſunt tres, veritatis, poſſibilitatis, neceſſitatis. Sed cavendum eſt in hoc genere, ne coniunctiones confundantur cum adverbiis iis, quae ſimili indicando diſcrimini inſerviunt. Nam adverbiorum, quae veritatis, poſſibilitatis, et neceſſitatis notiones complectuntur, ea ratio eſt, ut conditionem aliquam ipſarum enunciationum ſignificent, ut ὄντως, ἴσως, πάντως. Quo fit, ut intelligamus, qualis quaeque enunciatio ſit, utrum affirmans, an dubitans, an vincens: ſed illud his adverbiis non continetur, quo pacto quaeque enunciatio ab eo, qui eam proloquitur, cogitata fuerit, utrumne is id, quod dicit, affirmet, an ambigat, an neceſſarium eſſe velit. Huic vero rei coniunctiones deſtinatae ſunt, quae, qualiscumque proferatur enunciatio, id tantum indicant, utrum quis ea, quae dicit, affirmet, an dubitet, an ſpondeat. Quamobrem diverſae ſignificationis adverbia et coniunctiones uno orationis membro recte coniunguntur, ut in Hecuba Euripidis v. 805.

καὶ μὴν ἴσως μὲν τοῦ λόγου κενὸν τόδε
Κύπριν προβάλλειν· ἀλλ᾽ ὅμως εἰρήσεται.

Ἴσως in his ad ipſam ſententiam ſpectat, a quocumque ea, et quomodocumque cogitetur: *fortaſſe vanum ſit Venerem commemorare:* καὶ μὴν autem rem nunc vere et ſerio ab Hecuba dici oſtendit. Itaque ſententiam, quam adverbium docet dubi-

tantem esse, eam coniunctio vere cogitari ab aliquo affirmat.

Praeterea vero in ipsis coniunctionibus differentia quaedam reperitur, qua aliae orationis partes carent. Etenim quum coniunctiones modos cogitationum significent, pro duplici genere cogitationum, quarum aliae ad intellectum, aliae ad rationem pertinent, duo sint necesse est coniunctionum genera. Ac primum genus, quod proprium est intellectus, ad singularum enunciationum sive iudiciorum naturam spectat. Intellectus enim est, coniungere subiectis praedicata, eoque enunciationes efficere. Alterum genus, quod ad rationem pertinet, vim suam et usum habet in ratiocinationibus, quandoquidem rationis est concludere sententias ex aliis praemissis sententiis.

Primo igitur loco dicetur de iis coniunctionibus, quae intellectus propriae sunt. His continetur simplex significatio affirmationis, dubitationis, et decreti, ita ut non spectentur aliae sententiae, quae aut ut rationes praegressae sint, aut ut conclusiones consequantur.

Igitur in hoc genere primum locum tenent eae coniunctiones, quae simpliciter indicant, vere aliquid dici. Eiusmodi sunt hae: δή, δῆτα, νή, ναὶ μά, οὐ μά. Sic δή plerumque additur particulis εἰ, ὅτε, ἐπεί, non τοί, quod destinatum est necessitati significandae. Quod si additur his τοί, aliam vim habet. Nimirum rebus e conditione aliqua pendentibus, quam particulae εἰ, ὅτε, ἐπεί designant, veritatis nota recte addi potest, necessitatis non potest, quia conditione destituta est necessitas. Eodem modo coniunctiones νή, ναὶ μά, οὐ μά, veritatis esse, non necessitatis signa, ex eo cognoscitur, quod proprie testimonii caussa istae formulae

uſurpantur, non promittendi gratia, cui uſui ἦ μὴν inſervit. Quod ſi quando etiam in ſponſionibus νὴ, ναὶ μὰ, ȣ̓ μὰ adhibentur, veritatem magis perficiendae ſponſionis, quam neceſſitatem videntur ſignificare.

Sequuntur coniunctiones eae, quae poſſe aliquid cogitari indicant, id eſt, quae vim habent dubitandi. Huiusmodi coniunctiones ſunt ἄν, κέν, ἄρα, quod quidem *fortaſſe* notet, δήπȣ, δήπȣθεν, εἴθε, μῶν, ἆρα, ἦ interrogativae. Atque harum quidem coniunctionum tam plana atque aperta natura eſt, ut vix quidquam de iis admonere neceſſe ſit, niſi quod interrogandi coniunctiones propterea ſunt in hoc genere numerandae, quia quaeque interrogatio cogitationem continet incertam, dubitationique obnoxiam.

Denique de iis dicendum eſt coniunctionibus, quae neceſſitatis ſignificationem continent. Ac facile intelligitur, neceſſitatem, quae in animi cogitationibus inſit, omnino duplicem eſſe, alteram, quae rationum concluſione efficiatur, alteram, quae voluntatis conſtituatur decreto. Quarum neceſſitatum eam, quam priore loco commemoravi, hic omittendam eſſe patet, ubi de iis coniunctionibus ſermo eſt, quae ad intellectum ſpectant. Eſt enim illa neceſſitas, quae ratiocinando efficitur, rationis, non intellectus, propria. Intellectus autem ipſe per ſe nullam habet adiunctam neceſſitatem, quia omne eius officium in eo poſitum eſt, ut ex quacumque oblata materia notiones conficiat. Quae notiones aut verae ſunt, ſi eae res, quarum eae notiones ſunt, quas res obiecta philoſophi vocant, vere exſtant; aut probabiles ſunt, ſi res, quarum notiones ſunt, poſſunt quidem exſtare, ſed utrum exſtent necne, incertum eſt. Neceſſitas autem no-

tionibus intellectus non poteſt aliter comparari, niſi ſi eo ipſo, quod cogitantur, fit, ut res, quae notionibus reſpondeant, incipiant exſiſtere. At id ſponte patet non poſſe cogitando fieri, ſed voluntatis ad eam rem decreto opus eſſe. Nihil aliud enim voluntatis decreta ſibi volunt, quam ut animo neceſſitatem imponant, rem, quae alicui cogitationi reſpondeat, ratam habendi. Haec ipſa definitio oſtendit, id fieri poſſe dupliciter. Nam aut faciendae alicuius rei, aut cogitandae neceſſitatem nobis imponimus; faciendae, quum ſpondemus aliquid; cogitandae, quum aliquid decernimus et ut ratum probamus. Atque ſponſionibus maxime inſerviunt coniunctiones ἦ, ἦ μήν; decretis autem τοί.

Sed de illo τοί explicatius dicendum arbitror, quia paullo obſcurior eius ratio eſt. Dixi ſupra, δή veritatis, τοί neceſſitatis ſignum eſſe. Ac τοί quidem, vel ſi originem eius ſpectemus, (putatur enim ex τῷ, *igitur*, ortum) neceſſitatis quamdam ſignificationem adiunctam habet. Sed oblitterata propria ſignificatione manſit tamen ea vis huic coniunctioni, ut indicet neceſſitatem alicuius rei cogitandae vel non cogitandae, quam nobismet ipſi imponimus. Sic in hoc verſu:

οἴμοι. τί δ' οἴμοι; θνητά τοι πεπόνθαμεν.

Quae ſi quis ſic exprimeret, θνητὰ δὴ πεπόνθαμεν, is diceret, *vere, quae perpeſſi ſumus, mortalia ſunt mala.* Sed qui θνητά τοι πεπόνθαμεν dicit, hoc ſibi vult: *non eſt conquerendum: nam mortalia perpeſſi ſumus mala.* Perinde enim eſt, ac ſi diceret: παυέσθω τοι τὸ οἰμώζειν· θνητὰ γὰρ πεπόνθαμεν. Sic Prometheus Aeſchyli in fabula, quum queri ſortem ſuam coepiſſet, ita ſe revocat:

καί τοι τί φημι;

Id eſt, ſi ſenſum ſpectes, qui his verbis ſubeſt, *ne haec amplius a me dicuntor.* Cauſſam ſtatim addit, quia, quae in fatis ſint, clare praevideat. Similis interdum videtur particularum ἦ μήν ratio eſſe, ut in illo Iliad. II. 291.

ἦ μὴν καὶ πόνος ἐστὶν ἀνιηθέντα νέεσθαι.

Quod equidem ſic explicaverim: ἔστω τοῦτο, πόνον εἶναι, ἀνιηθέντα νέεσθαι.

Sed ſupra dixi, duplicem eſſe cogitationum neceſſitatem, unam, quae voluntatis decreto conſtituatur, quae quibus coniunctionibus indicetur, modo expoſitum eſt; alteram, quae ratiocinando efficiatur, eoque propria ſit rationis. Haec quas ſibi coniunctiones poſtulet, nunc explicabo. Etenim quum duo ſupra poſita fuerint coniunctionum genera, alterum quod eſſet intellectus proprium, alterum quod ad rationem pertineret, facile intelligetur, qualis eſſe debeat earum coniunctionum conditio, quae ratiocinationibus inſerviant. Nam quum rationis officium ſit, ex aliis praemiſſis ſententiis alias colligere, quae ex illis neceſſitate quadam quaſi prodeant, neceſſe eſt, ut quidquid coniunctionum ad haec ratiocinationum negotia adhibeatur, neceſſitatis quadam ſignificatione praeditum ſit. Quamobrem hoc quidem genus coniunctionum ſi quam partitionem admittit, ea non poterit non longe alia eſſe, quam qua uſi ſumus in iis coniunctionibus, quibus notionum, quas intellectus format, conditio exprimitur. Ac quoniam omnis ratiocinatio e diverſis notionum inter ſe relationibus efficitur, patet differentias coniunctionum, quae ad hanc rem adhibentur, e relationis diverſitatibus depromendam eſſe. Eſt autem tri-

plex relationis natura, nunc, ut aliquid tamquam accidens alii rei inhaereat, nunc ut tamquam caussa praegrediatur, aut tamquam effectus consequatur aliam rem, nunc denique ut mutuo nexu aliae res cum aliis tamquam partes unius rei coniunctae sint.

Primum igitur coniunctionibus opus est, quibus aliquam cogitationem alia cogitatione comprehensam esse indicetur. Id in primis fit coniunctionibus ὅπου et ὅτε, ut apud Latinos coniunctionibus *quum* et *tum*, *ubi*, *quando*, *quandoquidem*. Ita Aristophanes in Nubibus v. 33.

> ἀλλ', ὦ μέλ', ἐξήλικας ἐμέ γ' ἐκ τῶν ἐμῶν,
> ὅτε καὶ δίκας ὤφληκα, χἄτεροι τόκου
> ἐνεχυράσεσθαί φασιν.

Nam in hac ipsa notione aeris alieni hoc inest, non habere aliquem, quod suum sit. Sic in illo Ciceronis pro domo sua: *quum multa divinitus, pontifices, a maioribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil praeclarius, quam quod vos eosdem et religionibus deorum immortalium, et summae reipublicae praeesse voluerunt.* Nam in his multis praeclare inventis hoc quoque est, quod pertinet ad officia pontificum.

Deinde aliae coniunctiones pertinent ad rationes reddendas et consequutiones colligendas. Eius generis plurimae coniunctiones exstant, ut ἐπεί, ἵνα, ὡς i. e. *ut*, ὄφρα, οὕνεκα, γάρ, εἰ, ἐάν εἴπερ, ἄρα, i. e. *igitur*, τοὔνεκα, τοίνυν, οὖν, τοιγαροῦν, τοίγαρτοι, εἰ καί, καίπερ, ὅμως, ἔμπας, πέρ. Earum nonnullae rationis conclusionisque significationem aperte prae se ferunt; quaedam autem obscurius indicant, ut εἰ καί, καίπερ, ὅμως, ἔμπας, πέρ. Sed nihilominus eadem his quoque vis inest. Nam hae coniunctiones, εἰ καί, καίπερ,

ὅμως, ἔμπας, πέρ, et ſi quae ſunt eiusdem ſignificationis, ſane quidem rationem conſequentiamque exprimunt, ſed repugnantes inter ſe. Sic in hoc Sophoclis in Oedipo Rege v. 302.

πόλιν μέν, εἰ καὶ μὴ βλέπεις, φρονεῖς δ' ὅμως,
οἵα νόσῳ ξύνεστιν.

Caecitas enim Tireſiae cauſſa et ratio idonea eſt, quare mala civitatis ignorare videatur. Conſequitur tamen contrarium: quippe novit ille civitatis calamitatem. Eam igitur rationem non reſpondentem conſequutioni deſignat coniunctio εἰ καί. Contra, ut ſciret Tireſias, quibus malis conflictaretur civitas, id integro videbatur oculorum uſui deberi. Atqui caecus ille eſt. Igitur conſequutio effectusque exponitur minime reſpondens rationi cauſſaeque, quae requiri videbatur. Idque indicatur coniunctione ὅμως.

Tertium denique genus coniunctionum eam partem relationis complectitur, quae in conſociatione et disiunctione cogitationum poſita eſt. Eo pertinent hae coniunctiones, καί, τέ, ἠδέ, ἰδέ, quae ſimpliciter conſociationem cogitationum notant; deinde μέν et δέ, quibus collectio ſimul et ſegregatio indicatur; porro ἤ, ἀλλά, et γέ, quae ſolam disiunctionem ſignificant. Nam coniunctioni γέ vim ineſſe ſeparandi, facile licet perſpicere. Sic in illo Homeri in Iliadis libro V. v. 288.

ἀτὰρ οὐ μὲν σφῶΐ γ' ὀΐω
πρίν γ' ἀποπαύσεσθαι, πρίν γ' ἢ ἕτερόν γε πεσόντα
αἵματος ἆσαι Ἄρηα, ταλαύρινον πολεμιστήν.

Nam σφῶΐ γε quum dicit, hos indicat tam pertinaces eſſe, alii utrum eodem animo ſint, necne,

id ſeſe neſcire: ὀ πρίν γε et πρίν γ' ἤ quum addit, numquam omiſſuros, ſi fieri poſſit, certamen ſignificat; ſed, id quum fieri nequeat, non niſi alterutro caeſo diſceſſuros; denique ἕτερόν γε quum ait, aut utrumque caeſum iri, aut certe alterutrum, oſtendit. Hinc patet coniunctionis γέ hanc vim eſſe, ut de aliquo rerum numero aliquam rem eximat, deque ea re pro certo affirmet id, quod de reliquis in dubio relinquit.

Haec quidem de coniunctionibus. Sed duas praeterea adiiciemus obſervationes, quarum prima de iis eſt coniunctionibus, quas nonnulli adverbiis adnumerarunt, ut ἤ, ναὶ μά, ὀ μά, νή, δήπȣ, δήπȣθεν, ἦ μήν, εἴθε, μῶν, ἆρα, ἦ. Hic enim error inde ortus eſt, quod hiſce particulis non minus, quam adverbiis, quaedam cogitationum conditiones exprimi videbantur. Verum ex iis, quae ab nobis de natura adverbiorum coniunctionumque diſputata ſunt, clarum ſit neceſſe eſt, quo indicio adverbia a coniunctionibus diſcerni poſſint. Etenim quum adverbia conditionem aliquam rebus inhaerentem deſignent, neceſſe eſt, ut unumquodque adverbium non modo ſolum per ſe intelligi, ſed etiam in oratione ac ſermone hominum ſolum diſiunctumque ab aliis verbis adhiberi poſſit, dummodo ſit aliquid, quo referatur. Sic in reſponſionibus uti εὖ, καλῶς, et alia, recte ponuntur ſine aliorum vocabulorum ſocietate, ita etiam ναί, ȣ̓ ſola per ſe intelliguntur. Excipienda ſunt ea tantummodo, quae quia natura ſua incertam et aliunde definiendam conditionem notant, alius vocabuli ſocietatem requirunt, ut ὥς, ſive illud *quomodo*, ſeu *circiter* ſignificet. Coniunctionum vero haec ratio eſt, ut ſolae per ſe intelligi nullo pacto queant, ſed neceſſario conſociatione

aliqua cogitationum indigeant, qua vis earum et poteſtas eluceat. Quis enim καί aut ἀλλά aut γάρ, et alia, intelligat, quorum verborum nulla prorſus ſignificatio eſt, niſi in compoſitione et coniunctione cogitationum, unde ipſa eſt coniunctionum ducta appellatio?

Deinde autem hoc quoque obſervandum eſt, quas grammatici coniunctiones expletivas vocant, quasque a poetis maxime nullo ad ſententiam uſu adhiberi aiunt, nihil eſſe niſi commenta eorum, qui veram vim poteſtatemque harum coniunctionum ignorabant. De qua re quum iam olim a viris doctis ſaepe admonitum ſit, mirum tamen eſt, non modo infimae eruditionis homines, ut Heathium iſtum, qui magnam auctoritatem eo conſequutus eſt, quod, quae caeteri neſcire ſe ingenue faterentur, is ſcire ſe non dubitabat, ſed etiam viros ingenii pariter ac doctrinae laude celeberrimos, ut Valkenarium, iſti opinioni ſic fuiſſe deditos, ut importuno quarumdam coniunctionum uſu, dum labantia poetarum metra fulcire ſibi videbantur, praeclariſſimos locos vi, pulcritudine, immo ſaepe omni ſenſu privarent. In quibus viris hanc negligentiam hoc aegrius toleramus, quo maius damnum antiquis ſcriptoribus ab imitatorum opprobrioſa natione imminet, quidvis impune tantis auctoribus ſe auſuros ſperantium.

CAP. XV.

De verbo generatim.

Tertia pars orationis verbum eſt, quod in cogitationibus fungitur vice eius, quam philoſophi copulam dicunt. Eſt enim haec verbi vis, ut praedicatum ſubiecto tribuat atque adiungat. Hinc facile colligitur, proprie unum tantummodo eſſe verbum: idque eſt verbum *eſſe*. Caetera enim, quaecumque praeter hoc verbum verba reperiuntur, hanc naturam habent, ut, praeterquam quod illud *eſſe* contineant, quo fit, ut verba ſint, adiunctam habeant etiam praedicati alicuius notationem. Sic *ire*, *ſtare*, ut aliqua certe exempla afferamus, ſignificant *euntem*, *ſtantem eſſe*. Eo fit, ut enunciationes reperiantur e duobus aut uno etiam verbo conſtantes, quum nihilominus, ut par eſt, tres notiones complectantur ſubiecti, praedicati, et copulae, ut quum dicimus, *currit equus*, quod eſt, *equus currens eſt*, vel quum dicimus *ſcribo*, in quo verbo quia perſonae notatio ineſt, ſignificatur *ego ſcribens ſum*. Quamobrem haud abſurde quidam in eam opinionem adducti ſunt, ut formas Graeci verbi omnes e verbo illo, quod *eſſe* ſignificat, repeterent, ita ut exempli cauſſa τύπτω factum putarent ex ἔω, quod eſt *ſum*, primis autem litteris conditionem, quae cuiusque rei eſſet, indicari cenſerent.

Verbi autem tres partes ſunt, quas non ſatis accurate diſtinxerunt grammatici, participium, infinitivus, coniugatio. Nam qui infinitivum inter modos verbi retulerunt, non intellexerunt, quid eſſet modus. De qua re infra, quum de

modis loquemur, explicabimus. Eius vero, quam nunc adhibuimus, divisionis verborum haec caussa est. Ea notio, quae quoque verbo continetur, triplici modo considerari potest, prout aut cum aliqua re, quae subiectum vocatur, coniuncta est, aut praedicati, quod alicui subiecto tribui possit, vices gerit, aut denique rationibus iis continetur, quibus subiectum praedicatumque inter se consociari queant.

Igitur PARTICIPIVM natura sua nomen est, cui praedicatum tale accessit, quale proprium verborum est, id est, et agendi patiendique, et temporis significatione praeditum. Nomen autem est participium, quia subiectum aliquod indicat, quae propria est nominum vis.

INFINITIVVS ipsam continet ac solam verbi notionem, nihilque aliud notat, quam ipsum illud agendi patiendique et temporum significatione instructum praedicatum, quod possit nominibus adiungi. Vnde clarum est, infinitivum natura sua inter particulas, in iisque inter adverbia numerandum esse. Fallitur ergo Apollonius Dyscolus de syntaxi I. 8. infinitivum nomen esse dictitans. Differt autem a caeteris adverbiis eo, quod haec nudam tantummodo conditionem indicant, infinitivus autem praeter hanc conditionem, quae verbi cuiusque significatione continetur, etiam conditionem habendi illam alteram conditionem complectitur. Nam quoniam in infinitivo etiam copula inest, qua aliquid aliqua ratione comparatum esse indicatur, non potest non duplex conditio infinitivis exprimi. Sic εὐτυχεῖν unam conditionem indicat εὖ, alteram τυχεῖν, quae est conditio habendi priorem conditionem. Atque ipse infinitivus εἶναι, non habens additum adiectivum

aut adverbium, eſt ὄντα εἶναι. Alterum enim, quod in hoc infinitivo ineſt, conditionem hanc, eſſe, notat, quae poſſit eſſe alicuius rei conditio; alterum conditionem ſignificat vere habendi illud prius eſſe.

Conivgationis denique vocabulo eas verbi partes intelligimus, quibus ipſa coniunctio conſociatioque ſubiecti et praedicati continetur. Vnde ei et perſonarum notatio, et numerus, et modi proprii ſunt, quibus rebus cunctis infinitivus, ex parte participium caret.

Cap. XVI.

De coniugatione.

Sed discedendum hic nobis eſt ab eo ordine, qui in rebus ipſis ineſt: dicendumque primo loco de coniugatione putamus, propterea quod in huius expoſitione multa uberius explicanda ſunt, quorum quum aliqua tantum pars in participio atque infinitivo occurrat, hae verbi partes facilius intelligentur coniugationis explicatione praegreſſa.

Coniugationis vocabulo omnia, quae praeter participium atque infinitivum in verbis occurrunt, comprehendimus. Quorum quum ea natura ſit, ut conſociationem ſubiecti praedicatique contineant, eaque re compleant enunciationes, ratio in iis habenda erit et ſubiecti, et praedicati, et conſociationis horum, et totius inde confectae enunciationis. Quamobrem coniugationis quadripartita diviſio eſt, pro quantitate ſubiectorum, de quibus verbum adhibetur; pro

qualitate praedicati, quod ei inest; pro relatione inter subiectum praedicatumque, quae eo exprimitur; denique pro modo et gradu necessitudinis, qua subiectum praedicatumque coniuncta sunt.

CAP. XVII.

De personis et numero.

Primum omnium in coniugatione spectandae personae sunt, quibus coniugatio propterea carere non potest, quia aliquid in ea inesse debet, quod ad subiectum, de quo adhibetur verbum, referri queat. Nam si coniunctio subiecti praedicatique exprimenda est coniugatione, ex utroque aliquid in eam transierit necesse est, quo possit ad utrumque referri. Illud vero, quod linguarum repertores trium personarum, primae, secundae, tertiae, notationem verbis addiderunt, commoditate rei magis quam necessitate adducti fecere. Namque, ut in sermone infantium puerorum videmus, tertia persona etiam primae secundaeque designandae inservire poterat. Vnde fuere, qui tertiam personam putarent primam exstitisse verborum formam. Quorum quidem sententia si de personarum origine intelligatur, non magnopere repugnaverim; sin vero omnino de verborum primordiis hoc contendunt, nullam ego quidem antiquiorem formam infinitivo esse arbitror. Eaque videtur etiam opinio fuisse doctissimi grammatici, Apollonii Dyscoli, in lib. III. de Syntaxi cap. 13. p. 230. Nam illa necesse est prima linguarum rudimenta fuisse, quae notionem aliquam simpliciter atque

omni destitutam accuratiore definitione exprimerent, quod quidem est in infinitivo. Eoque pueri quum loqui incipiunt, ut par est, primo utuntur. Personae enim accessio cuiuscumque iam maiorem quamdam cogitandi subtilitatem requirit.

Personae autem quoniam ad subiecta, vel, quae horum signa sunt, ad nomina referuntur, ac saepius horum omissorum vices gerunt, numerum habere non minus, quam nomina, debent. Est igitur numeri eadem prorsus in verbis, quae in nominibus, ratio. Quare, quae supra de nominum numero dicta sunt, quum eodem modo in verbis se habeant, nihil attinet ea hic repetere.

Cap. XVIII.

De generibus verbi.

Alia verborum conditio e praedicati accessione nascitur, quam rem grammatici genus verborum dixere, quo activum intelligunt, et passivum, et medium. Nimirum quum verbis omnibus, praeter verbum *esse*, aliquod praedicatum insit, ut supra demonstravimus, pro huius praedicati ratione diversa constituantur verborum genera necesse est. A quibus quidem exemptum est verbum *esse*, quod quia praedicato caret, neque activum est, neque passivum, neque medium. Praedicatorum vero conditio triplex est, prout aut affirmationem aliquam, aut negationem, aut limitationem continent. Facile enim patet, quam hic affirmationem, negationem, ac limitationem dicimus, eas non posse in ea parte verbi, quae proprie verbum est, id est, qua *esse* significatur, reperiri, sed in ipsa

praedicati, quod quoque in verbo inest, natura positam esse debere. Nam si ad ipsum verbum pertinerent, non verbi diversa genera, sed enunciationes nascerentur aut affirmantes, aut negantes, aut limitantes, ut si verbo τύπτω negatio accederet, quae ipsius praedicati non esset, non *verberor* significaretur, sed *non verbero*. Quamobrem quum affirmationem, negationem, limitationemque ad ipsam praedicati naturam spectare dicimus, hoc intelligimus, praedicati notionem esse, ut philosophi loquuntur, aut positivam, aut negativam, aut limitatam. Nimirum quaeque conditio necessario cogitanda est aut ut propria vi eius rei, cuius conditio est, orta, aut ut alius rei vi atque efficientia nata. Inde quo praedicato eiusmodi conditio, quae propria cuiusque rei vi orta est, significatur, id praedicatum positivum, notioque eius praedicati affirmans dicitur. Itaque verba ea, quae huiuscemodi praedicatum continent, quia vim quandam rerum efficientem aliquid significant, ACTIVA dicuntur. Sic quum aliquid *album esse* dicimus, non indicamus, unde natus color iste sit; sed idem quum dicimus *albicare*, colorem ostendimus rei, cuius est color, vi et efficientia ortum esse.

Alterum genus praedicatorum complectitur conditiones aliena vi ortas, id est effectus. Ac quaecumque res aliena vi mutatur, hoc ipso arguit, non esse sibi tantum virium, ut alienam vim ab se propulsare possit. Quapropter hoc totum, pati, detractionem continet et negationem virium eius rei, quae aliquid patitur. Illud igitur genus praedicatorum, quod conditionem aliena vi natam significat, negativum est. Cui designando quae verba inserviunt, PASSIVA dicuntur.

Limitatorum denique praedicatorum facillima intellectu ratio est. Haec enim conditionem signi-

ficant, propria quidem rei vi ortam, ſed ita ut effectus in ipſam rem redeant, eoque res ſimul et efficiat aliquid et patiatur, ut ἐστεφανώσατο, *coronavit ſe*, quo idem oſtenditur et coronans eſſe et coronatus. Eaque verba vocantur MEDIA.

Praeterea vero commemorari ſolent verba NEVTRALIA. Sed haec natura ſua nihil niſi aut activa, aut paſſiva ſunt, hoc tantum discrimine, quod, ſi activa ſunt, vim per ſe agentem indicant, ideoque nullam rem, in qua huius actionis effectus cernatur, admittunt, ut *ſlo*, *eo*; ſin paſſiva ſunt, perpeſſionem aliquam per ſe ſpectari poſtulant, non etiam vim, unde illa naſcatur perpeſſio, ut *gaudeo*, *doleo*. Illud quidem in his exemplis nihil intereſt, utrum forma activa an paſſiva ſit, dum ſit ſignificatio. Haec verba patet inverti non poſſe, ut ſimul et activum et paſſivum habeant. Neque enim aut *ſlor*, *eor*, dici poteſt, aut *gaudeo aliquem*, *doleo aliquem*, id quidem ut ſit *facio*, *ut quis gaudeat*, *doleatve*. Sunt tamen quaedam horum verborum ex verbis tranſitivis, quae vocantur, orta, ut *laetor*, quod recentior Latinorum ſermo tamquam neutrale uſurpat, quum antiquitus paſſivum fuerit a *laeto*, quo quidam veterum uſi ſunt, ut Livius Andronicus in Aegiſtho,

iamne oculos ſpecie laetaviſti optabili?

et Attius in Pelopidis,

et te ut triplici laetarem bono.

Sponte autem intelligitur, in verbis neutralibus nulla inveniri, quae ſignificationem mediam habeant. Media enim ſignificatio quum ex activae et paſſivae ſignificationi coniunctione naſcatur, non poteſt locum habere in iis verbis, quae non niſi alterutram horum ſignificationem recipiunt.

CAP. XIX.

De temporibus.

Propria soli e partibus orationis verbo tempora sunt. Nam quum verbi natura inprimis in eo posita sit, ut relatio, quae est inter subiectum et praedicatum, indicetur, id ea re fieri necesse est, in qua maxime posita est relatio. Atque quum verbum *esse* caeterorum verborum omnium, ut supra docuimus, fundamentum sit, fieri non potest, quin, quae in eo relatio occurrit, eius longe alia ratio sit, quam illius, quae est in nominibus et particulis. Nomina enim et particulae quum subiecti praedicatique signa sint, si quae in iis relationis notae sunt, eae hanc vim habent, ut rem substantiam vel accidens, caussam vel effectum, partes consociatas vel disiunctas esse significent. In hoc autem verbo *esse*, quod solius copulae signum est, nec per se quidem ullam aut subiecti aut praedicati cuiuspiam notionem complectitur, relatio sic tantum potest cogitari, ut ad solum esse, non ad ea, quae sunt, spectet. Atqui hoc esse nullas habet, nisi temporis notas, quia, quidquid est, aliquo tempore esse cogitatur. Quamobrem omnis verbi relatio ad temporum inter se rationem comparationemque pertineat necesse est.

In ea temporum comparatione nonnihil discedemus a Stoicorum sententia, quam docte ac subtiliter persequutus est Reizius in scripto eo, quod Lipsiae a. CIƆIƆCCLXVI. de temporibus et modis verbi Graeci et Latini edidit. Quamquam enim ita probabilis est Stoicorum ratio, ut verear ne plurimis satisfaciat, tamen comparanti eam cum

nostra temporum expositione spero clarum fore, quaedam tempora, quorum peculiares formae nullae exstant, omissa ab illis esse, aliis autem non esse eum, quem par erat, locum atque ordinem assignatum.

Ante omnia igitur hoc est observandum, tria omnino esse tempora, praeteritum, praesens, futurum, sed ex ea differentia nullam peti posse relationis temporum divisionem. Nihil enim interest, utrum praeterierit aliquod tempus, an praesens sit, an futurum, quia, nisi unum ex his tribus esset, (quodnam autem sit, in quaque re experientia docet) non foret omnino tempus. Atqui non quaerimus, ut sit tempus, sed, seu praeteritum, seu praesens, seu futurum sit, quale sit, i. e. quo pacto ad alia tempora referatur. Est autem unius cuiusque temporis triplex relatio. Nam aut per se constans definitumque est, aut ex alio tempore pendet, aut denique utrumque simul est, ita ut et certum per se sit ac definitum, et simul consequutionem complectatur aliorum temporum, id est, ut aut omne aut quodvis tempus sit. Dicetur de singulis ordine.

Primum igitur genus relationis, quod in temporibus cernitur, in eo positum est, ut aliquod tempus certum sit ac definitum, id est, ut a continua temporum perpetuitate seiungatur, certoque in loco constituatur, ac per se constet. Id hisce formis exprimitur, PRAETERITO PERFECTO, PRAESENTI, FUTURO, ut γέγραφα, γράφω, γράψω, *scripsi*, *scribo*, *scripturus sum*. His enim verbi formis tempus certum definitumque notatur, ut non sit alius temporis commemoratione opus, unde, quando quid factum sit, fiat, futurum sit, cognoscatur.

Secundum genus temporum relationis illud est, quo tempus aliquod ex alio tempore pendere indicatur, ita ut in isto alio tempore caussa posita sit, qua ei tempori, quod ex hoc pendet, locus suus destinetur. Ac quum omne tempus aut praeteritum sit, aut praesens, aut futurum, alia tempora e praeterito, alia e praesenti, alia e futuro pendeant necesse est. Sunt autem non solum haec tempora, e quibus alia pendent, triplicia, sed illa quoque, quae ex aliis pendent, tripartitam habent divisionem. Nam aut praecedunt illi tempori, unde pendent, aut una sunt cum eo, aut sequuntur. Quibus quartum accedit hoc genus, in quo et antecedendi et consequendi significatio coniuncta est, ita quidem ut ista tempora praecedant tamquam futura. Nam contraria ratio, ut tamquam praegressa sequantur, cogitari non potest, quia praecedere quidem aliquid tamquam futurum potest, si deinde etiam non evenit, sequi autem nihil potest tamquam praegressum, quia, si praegressum est, non potest sequi, sin autem sequitur, non potest praegressum esse. Iam haec videbimus in singulis temporibus qualia sint.

Igitur e PRAETERITO tempore quod tempus ut praegressum pendet, PLVSQVAMPERFECTVM dicitur, ut ἐγεγράφειν, *scripseram.* Nam hoc tempore quae facta dicuntur, non potest, quando facta sint, intelligi, nisi definiantur ex alio eoque perfecto tempore, cui praecesserint, ut ὅτε ἐγεγράφειν, παραγέγονέ τις, *quum scripseram, advenit aliquis.* Nunc enim intelligitur, quando quis scripserat, quod aliter mansisset incertum.

Deinde e praeterito tempore aliud tempus, tamquam quod una cum illo sit, pendet, idque IMPERFECTVM vocatur, ut ἔγραφον, *scribebam.*

Quo tempore quae fieri dicuntur, ea sic fieri intelliguntur, ut praesentia sint tempore perfecto, veluti, ὅτε ἔγραφον, παραγέγονέ τις, *quum scribebam, advenit aliquis.* Nam, quo tempore aliquis advenit, eo is, qui scribebat, neque absolverat scribendi negotium, neque nondum inceperat, sed in eo erat occupatus.

Porro e praeterito tempore tempus etiam pendet, quod isto tempore futurum sit. Id vocatur FVTVRVM IMPERFECTI, ut ἔμελλον γράφειν, *scripturus eram.* Hoc tempore significatur aliquid futurum fuisse praeterito tempore, ut ὅτε ἔμελλον γράφειν, παραγέγονέ τις, *quum scripturus eram, advenit aliquis.* Ex quo exemplo colligitur, ut aliquis scriberet, tum fuisse futurum, quum aliud quid fiebat.

Denique tempus etiam, in quo coniuncta praeteriti et futuri significatio est, e praeterito tempore pendet. Id tempus dicitur FVTVRVM PLVSQVAMPERFECTI, ut γράψων ἐτετυχήκειν, *scripturus fueram.* Hoc tempore significatur, rem futuram ante aliquod praeteritum tempus iam praeteriisse, ita ut, quum illud praeteritum tempus advenisset, non esset amplius futura, veluti, ὅτε γράψων ἐτετυχήκειν, παραγέγονέ τις, *quum scripturus fueram, advenit aliquis.* Quod qui dicit, non erat scripturus, quum quis advenit, sed praeterlapsum iam erat hoc tempus, quo ille scripturus erat.

Eadem illorum temporum ratio est, quae e PRAESENTI tempore pendent. Ac primum pendere aliquod tempus e praesenti potest tamquam perfectum. Idque exprimitur PERFECTO definito, propterea quod ante praesens tempus nullum antecedit tempus, nisi praeteritum definitum. Recte

igitur praeteritum definitum hic fungitur officio relativi temporis, quoniam propter hanc ipsam rem praeteritum definitum est, quia praesentis successione finitur. Veluti ὅτε γέγραφα, παραγίνεταί τις, *quum scripsi, advenit aliquis.*

Deinde e praesenti tempore aliud tempus, ut quod simul cum illo sit, pendet. Idque PRAESENS est definitum. Nam quum praesens definitum significet continuationem temporis, fieri non potest, quin, quae hoc continuato tempore continuari dicantur, eodem exprimantur tempore, ut, ὅτε γράφω, παραγίνεταί τις, *quum scribo, advenit aliquis.*

Tum vero aliud tempus ut futurum pendet e praesenti tempore. Atque hoc quoque est definitum tempus illud, quod FVTVRVM vocatur, propter eamdem caussam, quae allata est in perfecto, quod e praesenti pendeat. Nam quum praesenti tempori quod tempus succedit, non aliis, quam definiti praesentis, finibus terminetur, fieri non potest, quin, quae e praesenti tempore ut futura pendent, futuro exprimantur definito, ut ὅτε μέλλω γράφειν, παραγίνεταί τις, *quum scripturus sum, advenit aliquis.*

Denique vero etiam istiusmodi tempus, quod e futuro atque praeterito coniunctum sit, e praesenti tempore pendet, idque est FVTVRVM PERFECTI, ut γράψων τετύχηκα, *scripturus fui.* Hoc enim tempore indicatur aliquid, quod futurum fuerit, ita praeteriisse, ut non praeterito aut futuro, sed praesenti tempore praeterierit, veluti, ὅτε γράψων τετύχηκα, παραγίνεταί τις *quum scripturus fui, advenit aliquis.*

Postremo e FVTVRO tempore tempus aliquod pendere, ut praeteritum, potest, quod vocatur

FVTVRVM EXACTVM, ut *γεγραφὼς ἔσομαι*, *scripsero.* Hoc tempore significatur aliquid neque praeterito nec praesenti, sed futuro tempore praeteriisse, ut *ὅτε γεγραφὼς ἔσομαι, παραγενήσεταί τις*, *quum scripsero, adveniet aliquis.*

Deinde aliud tempus e futuro tempore ut tum quidem praesens pendet, idque FVTVRVM INFECTVM dicitur, ut *γράψω*, *scribam.* Qua forma, ut infra dicetur, etiam aoristus futuri significatur. Huius igitur futuri infecti haec vis est, ut futuro tempore aliquam rem praesentem esse continuarique notet, veluti, *ὅτε γράψω, παραγενήσεταί τις, quum scribam, adveniet aliquis.*

Porro e futuro tempore aliud tempus ut futurum succedensque pendere potest, quod INSTANS FVTVRVM appellabimus, ut *γράψων ἔσομαι*, *scripturus ero.* Hoc tempus significat futuro tempori definito aliud successurum esse tempus, quod quando sit futurum, ex isto definito futuro cognosci debebit, ut, *ὅτε γράψων ἔσομαι, παραγενήσεταί τις*, *quum scripturus ero, adveniet aliquis.* Quod qui dicit, non erit scribendo occupatus, quum quis adveniet, sed parabit et componet se eo tempore ad scribendum.

Denique e futuro tempore etiam tempus coniunctum e praeterito futuroque pendet, quod FVTVRI EXACTI FVTVRVM dicendum est, ut *γράψων τετυχηκὼς ἔσομαι*, *scripturus fuero.* Huius temporis ea vis est, ut aliquam rem significet futuro tempore non esse amplius, sed ante illud tempus fuisse futuram, veluti, *ὅτε γράψων τετυχηκὼς ἔσομαι, παραγενήσεταί τις*, *quum scripturus fuero, adveniet aliquis*, id est, adveniet aliquis eo tempore, quo hoc, ut scripturus essem, iam erit praeterlapsum.

Poſtremum genus relationis temporum illud eſt, quo nec per ſe definitum, neque ex alio tempore pendens tempus, ſed aut univerſa temporis cuiusque ſeries, aut quaecumque temporis cuiusque pars ſignificatur. His temporibus AORISTORVM nomen eſt, quia indefinita ſunt. Sed nondum quisquam de his ſatis perſpicue ac plene expoſuit. Quin omnes, quum unam tantum reperirent aoriſtis deſtinatam verbi formam, quae ad praeteritum tempus ſpectat, ne animadverterunt quidem, etiam praeſenti futuroque ſuos eſſe aoriſtos.

Atque omnium aoriſtorum duplex, ut diximus, vis eſt. Nam illud genus relationis, quod communionem disiunctionemque temporum complectitur, hanc vim habet, ut eo aut coniunctae cuiusque temporis partes omnes, aut ex omnibus cuiusque temporis partibus aliqua certa pars, quaecumque demum illa ſit, ſignificetur. Hanc ſignificationem, quam poſteriore loco poſuimus, in quoquoque tempore explicando primam facere placet, quia frequentior ferme in hac eſt ac notior aoriſtorum uſus.

Igitur PRAETERITVM TEMPVS quum AORISTO exprimitur, primo ſignificatur aliqua certa praeteriti temporis pars, quaecumque illa ſit, ut ἔγραψα, quod Latini perfecto notant, *ſcripſi*, Itali recentiores autem et Galli, pariter ac Graeci, peculiari forma indicant, *ſcriſſi*, *j' écrivis*. Ac nos quoque Germani unum habemus aoriſtum, *ich ward*, quum in caeteris verbis aoriſti vim tribuamus imperfecto. Intereſt autem hoc inter aoriſtum ἔγραψα et perfectum γέγραφα, quod γέγραφα tempus ſignificat praeteritum terminatum praeſenti tempore, ita ut res, quae perfecto exprimitur, nunc peracta dicatur, illudque iam, peractam rem eſſe, praeſens ſit; aoriſtus

autem ἔγραψα tempus notat aliqua, quaecumque illa ſit, praeteriti temporis parte comprehenſum, ita ut, quod aoriſto tempore factum dicitur, aeque nunc poſſit atque olim aliquando peractum eſſe; illudque tempus, quo peractum ſit, incertum indefinitumque relinquatur. Apte ad hoc discrimen explicandum Primiſſerus haec exempla attulit, ἐκτίσθη ἡ πόλις, et ἔκτισται ἡ πόλις: quorum hoc, ἔκτισται ἡ πόλις, condendae urbis laborem nunc abſolutum eſſe, urbemque exſtare indicat; illud autem ἐκτίσθη ἡ πόλις, aliquando, quocumque demum tempore, conditam eſſe urbem ſignificat, ſive ea exſtet nunc, ſive iam pridem diruta fuerit.

Altera ſignificatio huius aoriſti ea eſt, quae omnes praeteriti temporis partes complectitur, quod quidem facile intelligitur aliter fieri non poſſe, quam ut aliquid ſignificetur promiſcue quacumque parte praeteriti temporis factum eſſe. Id autem nihil aliud eſt, quam fieri aliquid ſolitum eſſe. Hinc aoriſtorum ſecunda ſignificatio eſt iterationis, frequentationis, moris, conſuetudinis. Vt apud Pindarum Olymp. XII. 14.

πολλὰ δ' ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν
ἔμπαλιν μὲν τέρψιος· οἱ δ' ἀνιαραῖς
ἀντικύρσαντες ζάλαις
ἐσλὸν βαθὺ πήματος ἐν μι-
κρῷ πεδάμειψαν χρόνῳ.

Vide Valkenarii diatribam p. 163. et Fiſcherum ad Welleri grammaticam ſpec. II. p. 261.

Ex hac vero ſignificatione oritur alia, qua poſſe aliquid fieri indicatur. Nam quae ſaepius variis temporibus eveniſſe dicuntur, ea facile patet in ſimili cauſſa rerumque conditione rurſus eventura

existimari, ita ut inter illud, solere aliquid fieri, et hoc, posse aliquid fieri, nihil intersit, quam quod posse aliquid fieri ex eo, quod quid fieri soleat, probabili ratiocinatione concludimus. Haec igitur vis aoristorum, qua posse aliquid fieri indicatur, tertius quidam significatus est, ex secunda ortus significatione, cuius quodammodo pars est. Est autem hic in aoristo quidem praeterito paullo rarior significatus. Exemplum habet Homerus Iliad. IX. 318.

> ἴση μοῖρα μένοντι, καὶ εἰ μάλα τις πολεμίζῃ·
> ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακός, ἠδὲ καὶ ἐσθλός·
> κάτθαν' ὁμῶς ὅ τ' ἀεργὸς ἀνήρ, ὅ τε πολλὰ ἐοργώς.

Quorum versuum postremo si Achilles diceret pariter ignavos ac strenuos mori solere, sententia nasceretur prorsus inepta, iisque, quae dici debebant, contraria. Nam quum Achilles caussas exponat, quare a bello abstinere malit, excitari magis ad pugnam debebit, si segnes et inertes pariter ac fortes bellicososque mori solere reputat, quam a pugnando deterreri. Quis enim, si semel moriendum est, inglorius mori, quam nobili leto occumbere malit? Notum est illud:

> ἀλλ', ἔμπης γὰρ κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο,
> ἴομεν, ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν ἠέ τις ἡμῖν.

Inde factum est, ut Koeppenius, qui vim aoristi non perspexisset, interpolatione locum corruptum arbitraretur. At vero κάτθανεν hic est *mori potest*. Ergo hoc dicit Achilles: eadem cessantis est et fortiter pugnantis sors; idem ignavi honor et strenui; nec minus mori potest, qui bello abstinet, quam qui in praeliis versatur. Id vero longe aliud quid est, quam si mori solere inertes pariter ac bellico-

ſos diceret. Nam ſi ſolent mori, mors certa ponitur, ut ſane pugnandum magis, quam bello abstinendum videatur: ſin vero poſſe dumtaxat mori dicuntur, incerta eſt mors, ut conſultius videatur moriendi periculum evitare. Quamobrem haec eſt Achillis mens: ſi praemium pugnae mors eſt, quid dimicare attinet, ſiquidem vel abstinens praeliis ſatis mature mortem oppetere potero? Id breviter ſic expreſſit: poteſt ſegnis pariter mori ac bellicoſus, nimirum, ut ſtultum ſit, pugnae ſe immiſcere, quo citius quis pereat, quum obire etiam ſine pugna ſatis mature queat.

Praeterea vero paucis dicendum eſt de illorum opinione, qui aoriſtum, id eſt, aoriſtum praeteriti temporis, de quo umque tempore adhiberi contendunt. Qui ſi hoc tantum intelligerent, aoriſtum praeteriti, quatenus ſolere aliquid fieri ſignificet, quodammodo omnia tempora complecti, aliquid certe dicerent, quamquam nec perſpicue neque accurate. Sin autem modos intelligunt aoriſti alios, quam indicativum, peius etiam et negligentius loquuntur, quia in Graeco quidem verbo ad ſignificationem cuiusque temporis propriam indicativus tantum adhiberi poteſt. Reliquorum enim modorum admodum varia eſt ac multiplex ſignificatio, quae quoniam conſtructione verborum conſtituitur, in ſyntaxi eſt explananda. Quod ſi denique, ut videtur, ipſum aoriſti praeteriti indicativum, etiam quatenus fieri aliquid ſolere non ſignificat, de quocumque tempore putant uſurpari, prorſus falluntur, nec quisquam poteſt gravior in hoc genere error reperiri. Mihi quidem fateor unum tantummodo notum eſſe exemplum, de quo merito dubitari queat, an aoriſtus habeat ſignificationem futuri. Nam ineptas quorumdam gram-

maticorum adnotationes, ut fcholiaftae Thucydidis ad I. 23. quem copiofe refutavit H. Stephanus, hoc magis praetereundas arbitror, quo minus refutatione indigent. Illud autem, quod dixi, exemplum Homeri eft in quarto libro Iliadis v. 161. Sed quo rectius de eo iudicari queat, integrum locum adfcribam. Sic igitur Agamemno Menelaum alloquitur, quem rupto foedere vulneraverat Pandarus:

> φίλε κασίγνητε, θάνατόν νύ τοι ὅρκι᾽ ἔταμνον,
> οἶον προστήσας πρὸ Ἀχαιῶν Τρωσὶ μάχεσθαι.
> ὥς σ᾽ ἔβαλον Τρῶες, κατὰ δ᾽ ὅρκια πιστὰ πάτησαν.
> οὐ μέν πως ἅλιον πέλει ὅρκιον, αἷμά τε ἀρνῶν,
> σπονδαί τ᾽ ἄκρητοι καὶ δεξιαί, ᾗς ἐπέπιθμεν.
> εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ᾽ Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
> ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ· σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
> σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν.
> εὖ γὰρ ἐγὼ τόδε οἶδα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
> ἔσσεται ἦμαρ, ὅταν ποτ᾽ ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή,
> καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο,
> Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης, ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων,
> αὐτὸς ἐπισσείῃσιν ἐρεμνὴν αἰγίδα πᾶσιν,
> τῆσδ᾽ ἀπάτης κοτέων.

In quo loco quis non haereat in aorifto ἀπέτισαν, quo manifeftum eft rem futuram defignari? Atque Euftathius quidem p. 458. l. 37. ὅρα δὲ καί, inquit, ὅτι ἐν τῷ, ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ, καὶ ἐν τῷ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν, χρόνοι ἀντὶ χρόνων συνήθως λαμβάνονται, ἤγουν ἐνεστὼς καὶ παρῳχημένος ἀντὶ ἀληθοῦς μέλλοντος. τὸ γὰρ ἐκτελεῖ ἀντὶ τοῦ πάντως ἐκτελέσει, καὶ τὸ ἀπέτισαν ὁμοίως ἀντὶ τοῦ ἐξ ἅπαντος ἀποτίσουσιν. At quod ille συνήθως dicit, de praesente quidem ἐκτελεῖ recte monet. Nam quum

nullum ſit tempus quin poſſit fingi praesens eſſe, factum eſt, ut praesente tempore nunc praeterita nunc futura exprimi ſolerent. Verum aoriſti praeteriti ſignificationem quod futuri temporis notatione augeri ſolere exiſtimat, id quidem non niſi idoneam exemplorum copiam afferenti credemus. Aptiorem huius difficultatis explicandae viam, ſed non meliore ſucceſſu, alios ingreſſos eſſe grammaticos e ſcholiis Venetis cognoſcitur: in quibus leguntur haec: ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει τελέσει, καὶ, σύν τε μεγάλῳ τίσουσιν, ἐπὶ τῶν Τρώων δεχόμενος τὸν λόγον. οὐκ ἔχει δὲ οὕτως, ἀλλὰ καθολικῶς ἐπὶ τῶν παραβαινόντων τὰ ὅρκια. Zenodotus quidem quare τελέσει ſcriberet, nulla erat, ut ſupra oſtendimus, idonea ratio: quin omnino qualis haec emendatio ſit, non ſatis perſpicio, quandoquidem, niſi etiam ὀψὲ mutetur, metrum ea perimi neceſſe eſt. Illud vero etſi audacius, aptius certe, quam Euſtathius, fecit, quod ἀπέτισαν in τίσουσιν mutavit. Scholiaſtes denique quamquam propterea laudandus eſt, quod aoriſti ſignificationem violari noluit, male tamen difficultatem loci ſic explicavit, ut non de Troianis, ſed de quibusvis foederum ruptoribus loqui Agamemnonem putaret. Etenim quoniam non ſolum omnia, quae praecedunt, maximeque illa, quae proxima ſunt,

εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ,

ſed etiam haec ipſa,

σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν,

et quae deinceps ſequuntur, manifeſto ad Troianos pertinent, fieri non poteſt, quin de iisdem etiam ἀπέτισαν intelligi debeat. Quod ſi genera-

tim de omnibus loqueretur Agamemno, qui foedus aliquod violassent, nominis accessione carere verbum ἀπέτισαν non poterat. Quae quum ita sint, videtur mihi locus hic sic esse explicandus, ut ἀπέτισαν et ad Troianos referatur, et vim aoristi retineat. Id autem facile consequemur tollenda maiore interpunctione post τελεῖ. Sic enim interpungendum arbitror:

> εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
> ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν,
> σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν.

Nam respondent sibi haec, ἔκ τε τελεῖ, et, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν, ita ut utraque sententia per has copulas coniungatur, et posterior consequutio sit prioris. Hoc enim dicit Agamemno: si non statim Troianos punivit Iuppiter, at et puniet eos postea, et illi tum poenas dederint eo graviores. Id igitur aoristo exprimit, quo rem futuram non ut futuram, sed ut praeteritam narrat: nimirum postquam Troianos punierit Iuppiter, tum illi poenas dederunt. Quae quidem dicendi ratio eo est aptior, quo magis in commotum animum cadit, qui futura ut acta iam cernere sibi videtur.

Hoogeveenius, qui pariter ac Vigerus et Zeunius, andabatarum more de Graecae linguae legibus digladiari solet, p. 210. aoristi praeteriti pro futuro positi locum protulit ex Epicteto cap. 59. ἂν ὑπὲρ δύναμιν ἀναλάβῃς τὶ πρόσωπον, καὶ ἐν τούτῳ ἠσχημόνησας, καὶ ὃ ἠδύνασο ἐκπληρῶσαι, παρέλιπες. Ibidemque aliud ex euang. Ioannis XV. 6. affert: ἐὰν μή τις μείνῃ ἐν ἐμοί, ἐβλήθη ἔξω, ὡς

τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνθη. Qui aoristi quia Latine optime possunt futuro transferri, putat iste vim eos habere futurorum. Vtrumque exemplum simile est Homerico, cui inde aliquantum lucis accedet, si modo Epictetus Ioannesque recte explicentur. Nimirum nec futuri vim aoristus in horumce scriptorum locis habet, nec solere aliquid fieri significat, sed de uno eoque singulo eventu adhibitus est, qui quidem cui tempori tribuendus sit, non est definitum. Eaque est, quam primam posuimus aoristorum significationem. Rem autem ita esse, uti dixi, ex eo cognoscitur, quod, quum utroque in loco addita sit lex quaedam et conditio eiusmodi, ex qua quid non probabiliter, sed necessario consequi dicatur, debebit id, quod consequitur, unum dumtaxat certumque esse. Nam duplex omnino genus conditionum est, unum, e quo quid probabiliter consequitur, ut, *si per hiemem magnum frigus fuit, aestate erit ingens calor*, quod recte sic dicetur, *si per hiemem magnum frigus fuit, aestate calor ingens esse solet*, quia evenire etiam contrarium potest. Alterum genus hoc est, e quo quid necessario consequi dicitur, ut, *si quis sapiens est, mortem contemnit*: quod non potest recte sic dici, *si quis sapiens est, is mortem solet contemnere*, quia, si solet mortem contemnere, fieri potest, ut aliquis tamen aliquando id non faciat: atqui qui mortem non contemnit, is non est sapiens. Ex hoc autem genere ista duo exempla sunt, Ioannis propterea, quia interdictum continet; Epicteti, quia hic loquitur de iis, quae quis ultra vires suas esse sentiat. Atqui quod vires alicuius excedit, id necessarium est recte ab illo geri non posse. Igitur utriusque scriptoris locus unum tantummodo certum casum continet. Nam sive dicas, *quum quis maiorem conditione sua personam in se*

N

suscipit, *tum male eam agit*, sive dicas, *quoties quis maiorem conditione sua personam in se suscipit*, *toties eam male agit*, utroque modo tamen unum tantummodo factum ponitur et commemoratur. Illud autem factum quum non sit definitum quando fiat, facile patet collocari posse quocumque in tempore, dum ne collocetur in tempore aut per se aut aliunde definito. Itaque si modo res aoristo exprimatur, pariter et praeterito poterit et praesente et futuro aoristo designari, quia, dum aliquo in tempore ponatur conditio cum consequutione sua, perinde est utrum in praeterito, an in praesente, an denique in futuro tempore ponatur. Ergo haec omnia idem significant: *personam non congruentem conditioni tuae si indues*, *male eam ages*; *si induis*, *male agis*; *si induisti*, *male egisti*. Eodem igitur modo in Homeri versibus ἀπέτισαν e conditione pendet, quae quum posset in quocumque tempore collocari, ab Homero collocata est in praeterito tempore. Quae res propterea tantum aliquid offensionis habet, quia reliqua omnia in isto loco futuri temporis sunt. Sed placuit Homero, hoc, vindicem periurii esse Iovem, tamquam conditionem, quam poenae Troianorum consequantur, ponere in tempore praeterito: *si vindex fuit periurii Iuppiter*, *scelus luerunt Troiani*. Idem vero sic dici poterat: *si vindex est periurii Iuppiter*, *scelus luunt Troiani*; aut, *si vindex erit*, *scelus luent*.

Denique alius est aoristi praeteriti usus, quo videtur praesentis loco adhiberi, ut apud Sophoclem in Aiace v. 536.

ἐπήνεσ' ἔργον καὶ πρόνοιαν, ἣν ἔθου.

Scholiastes: ἀντὶ τοῦ ἐπαινῶ. Sed hic proprie manet vis aoristi, quamquam vix commode potest

in aliam linguam transferri. Nam quod notarunt grammatici, ut Apollonius de ſyntaxi p. 251. imperativis aoriſtorum praeteritorum ſignificari ea, quae celeriter abſolvi velimus, id etiam in reliquis modis ita ſe habet: qua quidem obſervatione male uſus eſt Euſtathius ad Iliad. I. 3. p. 19, 25. Igitur qui ἐπῄνεσα dicit, ubi de re praesente loquitur, hoc vult, probare ſe ſane ea, quae alter dixerit vel fecerit, ſed nolle his laudibus tempus terere, immo eſſe alia potiora, de quibus dicendum ſibi ſit. Propterea reſpondet Tecmeſſa ſic, ut quaerat ab Aiace, quid illud ſit, quod magis curae habeat:

τί δῆτα δρῶσ᾽ ἐκ τῶνδ᾽ ἂν ὠφελοῖμί σε.

Similis eſt apud Latinos futuri perfecti uſus, ut quum dicunt, *id ego videro*, *tu iſtuc feceris*.

Sequitur praesentis temporis aoristvs, qui quia peculiarem verbi formam non habet, praesenti exprimitur. Vnde factum eſt, ut grammatici, cuius temporis formam nullam reperirent, id ipſum ne exſtare quidem animadverterent. At multum intereſt inter eam, quae definiti praesentis eſt, et utriusque aoriſti praesentis ſignificationem. Nam definitum praesens indicat aliquid eo ipſo tempore agi, quo dicitur agi, ut quum quis, dum ſcribit, dicit *ſcribo*. Aoriſti autem praesentis, ut omnium aoriſtorum, duplex vis eſt, prima, quae aliquam certam partem praesentis temporis, quaecumque illa ſit, indicat, altera, quae promiſcue omnes complectitur praesentis temporis partes.

Prioris ſignificationis ſatis perſpicua illa exempla ſunt, quae vulgo dici ſolent, *dicunt*, *ferunt*, *perhibent*, *dicitur*, *fertur*, *perhibetur*. Quibus verbis minime ſignificatur aliquid perhiberi hoc

ipſo tempore, quo quis hoc verbo *perhibent* utitur, ſed omnino indicatur aliqua eaque certa quidem praesentis temporis pars, ſed una tamen de multis, neque ita, ut, quae illa pars ſit, conſtet.

Altera ſignificatio praesentis aoriſti quoniam omnes praesentis temporis partes complectitur, eodem modo, quo aoriſtus praeteriti, frequentationem et conſuetudinem ac morem indicat, ut illud Homeri,

ἐπιμὶξ δέ τε μαίνεται Ἄρης,

quo non definitum praesens indicatur, ſed quocumque tempore praesens eiusdem rei iteratio ac repetitio.

Ex hac autem ſignificatione eodem modo, ut ſupra in praeterito aoriſto vidimus, derivatur ea praesentis aoriſti poteſtas, qua aliquid poſſe fieri indicatur. In quo ſignificatu quum nihil ſit difficultatis, ſatis habeo, unum ex ingenti, quae ubique occurrunt, exemplorum copia depromere:

valet ima ſummis
mutare, et inſignem attenuat deus,
obſcura promens.

In quo loco *attenuat* idem eſſe, quod *attenuare poteſt*, vel ea, quae praecedunt, docent, *valet mutare.*

Tertius denique FVTVRI AORISTVS eſt, quem a grammaticis neglectum eſſe hoc magis mirum eſt, quod futurorum duae in verbo Graeco et Latino formae exſtant, quarum altera futuro definito, altera proprie futuro aoriſto deſtinata eſt. Nam μέλλω γράφειν, *ſcripturus ſum*, quum dicimus, definito utimur futuro, quippe cuius initium fiat fine praesentis temporis. Quare in iſtis futuri definiti notis ineſt praesentis ſignificatio μέλλω et *ſum*,

quo clarius indicetur, hinc ſtatim futuri fore initium. Aoriſtus autem futuri his formis exprimitur, γράψω, *ſcribam*, quarum, ut praeteriti et praesentis aoriſtorum, duplex vis et poteſtas eſt.

Nam primum aoriſtus futuri omnino aliquam deſignat certam futuri temporis partem, quaecumque illa ſit, ut qui dicit γράψω, *ſcribam*, non nunc ſe ſcripturum demonſtrat, quod dici deberet μέλλω γράφειν, *ſcripturus ſum*, ſed omnino aliquando fore, ut ſcribat, ostendit. Eiusmodi eſt illud Homeri, Africani minoris voce repetitum,

ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή,
καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.

Quorum verborum non eſt hic ſenſus, ut nunc interitura dicatur urbs, ſed ut aliqua, eaque certa quidem, ſed non definita, futuri temporis parte fore, ut urbs cadat, ſignificetur.

Deinde etiam illa vis ineſt futuri aoriſto, quae quoniam ad omnes promiſcue futuri temporis partes ſpectat, iterationem conſuetudinemque deſignat. Vt apud Homerum,

ὡς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον.

Vide Fiſcherum ad Welleri grammaticam ſpec. II. p. 263.

Quae denique ex hac ſignificatione eius, quod fieri ſoleat, naſcitur ſignificatio eius, quod fieri poſſit, ea merito apud Graecos aliquanto eſt in futuri aoriſto, quam in reliquis aoriſtis, frequentior. Etenim quae promiſcue in quacumque parte alicuius temporis collocari poſſunt, ſi id tempus futurum eſt, longe incertiora ſint neceſſe eſt, quam quae aut praesenti aut praeterito tempore quantumvis indefinito notentur. Nam quum nec facta

nec fieri dicantur, ea non ante conſtabit contingere, quam quum reipſa evenerint. Quod quia incertum eſt quando futurum ſit, perinde eſt, utrum, quae ſic futura ſunt, futura eſſe, an fieri poſſe dicantur. Bacchylides de ebrio:

αὐτὸς μὲν πόλεων
κρήδεμνον λύει,
πᾶσι δ' ἀνθρώποις μοναρχήσειν δοκεῖ.

Vide Fiſcherum l. l. et, quem hic commemoravit, Abreſchium in auctario dilucid. Thucyd. p. 331.

Sed ne forte videamur aoriſtis tantummodo tribuiſſe, quae etiam aliorum temporum ſunt, dicendum eſt de iis temporibus, quae quum non ſint aoriſta, tamen iterationis et conſuetudinis ſignificatione praedita putantur.

Ac primo quidem praeteritum perfectum iſta ſignificatione frequenter occurrere conſtat, ut in illo notiſſimo,

ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας.

Cuiusmodi alia attulit Fiſcherus p. 259. Verum ſponte quisque intelligit, in hisce exemplis omnibus perfecti non eſſe aliam vim, quam praesentis, atque ut praesens tempus definitum ad aoriſti praesentis indicandam ſignificationem adhibetur, ita eumdem eſſe etiam perfecti uſum. Quamobrem perfectum quidem non videtur repugnare iis, quae de repetitionis conſuetudinisque ſignificatione, quae proprie aoriſtis inſit, ſupra ab nobis dicta ſunt.

At vero eamdem ſignificationem etiam imperfecto tribuunt grammatici. Quorum ſi vera ſententia eſt, vereor ne omnis temporum ratio in magnas atque inextricabiles difficultates incidat. Nam etſi fortaſſe merito videatur imperfecto tempori con-

ſuetudinis ſignificatio tribui poſſe, propterea quod, quum imperfectum referatur ad aliud tum quidem praesens tempus, natura ſua aliquam continuationem ac perpetuitatem notet: tamen ex eadem re magnam naſci de iſto ſignificatu dubitationem neceſſe eſt, quia, ſi imperfectum ſemper ad aliquod aliud tempus refertur, ita tantum aliquam frequentationis notationem continere poterit, ut non omnino, ſed certo quodam tempore aliquid fieri conſueviſſe dicatur. Id vero ſic eſt. Quare faciliime diiudicari poteſt, quid ſit discriminis, utrum aliquid fieri ſolere aoriſto praeterito, an imperfecto dicatur. Nam quae aoriſto praeterito fieri conſueviſſe dicuntur, ea quocumque praeterito tempore fieri ſolita indicantur, unde merito colligitur, et etiamnum fieri ſolere, et poſthac fieri poſſe; quae autem imperfecto tempore fieri conſueviſſe ſignificantur, ea ad certam tantummodo partem praeteriti temporis, quae quidem ex alio tempore pendeat, pertinent, neque illa, quae ante aut poſt iſtam temporis partem fieri conſueverint, comprehendunt. Exemplis res declarabitur. Pindarus in principio ſecundi carminis Iſthmici ſic ſcribit:

οἱ μὲν πάλαι, ὦ Θρασύβουλε,
φῶτες, οἱ χρυσαμπύκων
ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαι-
νον κλυτᾷ φόρμιγγι συναντόμενοι,
ῥίμφα παιδείους ἐτόξευ-
ον μελιγάρυας ὕμνους,
ὅστις ἐὼν καλὸς εἶχεν Ἀφροδίτας
εὐθρόνου μνάστειραν ἁδίσταν ὀπώραν.

In hoc loco ἔβαινον et εἶχεν communem habent et vulgatam imperfectorum vim, quoniam ſimpliciter continuationem ſignificant tempore quodam, quod ex alio tempore pendeat, durantem. Ἐτόξευον au-

tem adiunctam habet consuetudinis significationem, sed non omnino per omnem praeteriti temporis ambitum extensam, verum in quoddam certum tempus coangustatam, cuius termini alio tempore definiuntur. Nam quum hoc dicat Pindarus, qui olim carminibus faciendis operam dabant, si quem formosum puerum nossent, eum carmine celebrare solebant, aut hoc significat, quando carmina faciebant, canere solebant formosos pueros, aut omnino, quo tempore isti poetae vivebant, formosos pueros solebant canere. Nam illud ipsum, *dum aliquis vivebat*, in plerisque huius generis locis intelligi debere ex eo clarum est, quod imperfectum consuetudinis notione adiuncta, de certis personis adhibetur, quarum vita quum sit certis circumscripta limitibus, numquam imperfecto deest tempus, ex quo pendere possit. Ita Aeschylus in Prometheo de hominum genere:

> *οἳ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔβλεπον μάτην,*
> *κλύοντες οὐκ ἤκουον, ἀλλ' ὀνειράτων*
> *ἀλίγκιοι μορφαῖσι τὸν μακρὸν χρόνον*
> *ἔφυρον εἰκῆ πάντα.*

Et sic saepius in iis, quae sequuntur, imperfecto usus est, quod quidem ubique in isto loco refertur ad illud tempus, quo nondum Prometheus culturam hominibus adhibuerat. Contra ubi non significatur tempus ex alio pendens tempore, imperfectum, quantumuis consuetudinis significatione praeditum, adhiberi nullo pacto potest, ut in iis, quae Euripides in Phoenissis v. 543. de aemulatione dicit:

> *πολλοὺς δ' ἐς οἴκους καὶ πόλεις εὐδαίμονας*
> *ἐσῆλθε, κἀξῆλθ' ἐπ' ὀλέθρῳ τῶν χρωμένων·*

et paullo post de mediocritate:

> καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι καὶ μέρη σταθμῶν
> ἰσότης ἔταξε κἀριθμὸν διώρισεν.

In quibus locis neque ἐσήρχετο et ἐξήρχετο, neque ἔτασσεν et διώριζε dici poterat, quae imperfecta rem ad certum tempus relatura fuiſſent, ita ut neque ante illud tempus, nec poſtea idem evenire potuiſſe ſignificarent. Similiter quum Latini praeteritum perfectum pro aoriſto adhibent, non poteſt illud permutari cum imperfecto, ut in hoc Horatii,

> *fecundi calices quem non fecere diſertum?*

Vbi quis dicere vellet *faciebant*?

Illud vero in hoc aoriſti praeteriti imperfectique uſu diligenter obſervandum eſt, ne quis aoriſtos ſecundos cum imperfectis confundat, quod accidit Fiſchero p. 258. ubi in his verſibus Homeri,

> ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ,

et,

> ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων
> ταῦρος,

imperfecta putat adhibita eſſe, qui ſunt aoriſti ſecundi. Quamquam enim hoc genus aoriſtorum nihil videatur aliud eſſe, quod quidem ad originem et formam attinet, quam imperfectum, diverſam tamen ab imperfectorum poteſtate ſignificationem uſu paullatim et conſuetudine ſermonis adeptum eſt. Recte vero Fiſcherus attulit Iliad. XXIV. 340. et Odyſſ. I. 96. in quibus locis haec leguntur:

> ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
> ἀμβρόσια, χρύσεια, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν,
> ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.

Hic sane φέρον est imperfectum, significatque rem fieri solitam, sed sic demum, ut aliquem portare solitae dicantur soleae tum, quum eas pedibus subligatas gereret.

Denique addidit Fischerus p. 258. plusquamperfectum, quo aliquid fieri solere indicetur. Id tempus quum sit ex eo genere temporum, quae ex alio tempore pendent, eamdem prorsus significationem consuetudinis habeat necesse est, quae reperitur in imperfecto. Quamobrem male attulit Fischerus locum Platonis in Cratylo, cap. 5. vol. III. p. 237. ed. Bip. Ibi Socrates ita loquitur: οὐκοῦν καὶ ἐὰν κάειν τι ἐπιχειρήσωμεν, οὐ κατὰ πᾶσαν δόξαν δεῖ κάειν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὀρθήν; αὕτη δ' ἐστὶν, ᾗ ἐπεφύκει ἕκαστον κάεσθαί τε καὶ κάειν, καὶ ᾧ ἐπεφύκει. At quis tandem putabit hic plusquamperfecto consuetudinem indicari, quum id non solum perfecto recte fieri possit, sed per temporum necessariam consequutionem ne locus quidem sit plusquamperfecto, aut imperfecto, cuius vice plusquamperfectum positum videtur Fischero. Immo nihil certius est, quam scribi hic bis debere πέφυκεν, quo tempore Plato ante et post saepius, ut par est, utitur, nusquam plusquamperfecto. Quaerenda est autem corruptionis origo in ν paragogico cum ι permutato, quod quum semel receptum esset, addi deinde coepit augmentum. Huiusce corruptionis exemplorum aliquot millia ex antiquis scriptoribus colligi possent.

Caeterum, ne quis forte haesitet, si qua occurrere tempora videat definita aut indefinita, quae ab nobis non sunt commemorata, operae pretium facturi nobis videmur, si paucis viam rationemque indicaverimus, qua tempora quaeque quo referenda

ſint, intelligi queat. Vtemur autem aoriſtis tantum ad hanc rem: nam definitorum temporum eadem plane ratio eſt.

Atque ut a praeſenti initium faciamus, facile colligitur, hoc quidem nullis augeri temporibus poſſe. Omnes enim praeſentis temporis partes praeſentes ſunt, neque ulla eſt, quae tamquam praeterita poſſit aut futura cogitari. Quod ſi quid praeteritum aut futurum tamquam praeſens cogitatur, id ipſum patet praeteritum futurumque definitum eſſe. In praeterito autem futuroque tempore nihil obſtat quo minus alia tamquam praeterita aut futura aut ex utroque hoc genere coniuncta cogitentur.

Igitur ſicut aoriſtus praeteriti is, quo aliquid certa quadam ſed indefinita praeteriti temporis parte ut perfectum, atque idcirco ipſa abſolutio et perfectio rei ut praeſens ponitur, veluti ἔγραψα, praeſens dici poterit aoriſti praeteriti, ita aliud ut praeteritum praeteriiſſe dicetur, velut γεγραφὼς ἔτυχον; aliud ut futurum, velut, γράψων ἔτυχον; aliud ut praeteritum futuri, velut, γράψων γεγονὼς ἔτυχον; aliud denique ut futurum praeteriti, velut, γεγραφέναι μέλλων ἔτυχον. Dabitur enim hoc nobis in huiuscemodi diſputatione, ut formulis verborum uti liceat, quae etſi nuſquam occurrant, rem tamen claram et perſpicuam reddunt.

Eodem modo aoriſtus futuri ſimplex γράψω, hoc, ſcripturum aliquem eſſe, ut praeſens ponit in aliqua parte futuri temporis. Sed eadem illa ſcribendi actio poni poterit in futuro tempore ut praeterita, velut γεγραφὼς ἔσομαι; vel ut futura, γράφειν μελλήσω, vel ut quae tamquam futura praeterierit, γράψων τετυχηκὼς ἔσομαι; vel denique

ut quam perfectam esse futurum sit, γεγραφέναι μελλήσω.

Hac igitur via temporum diversitates multimodis inter se coniungi consociarique possunt. Sed cuiusque horum compositorum temporum ea natura est, quae est illius temporis, in quo coniuncta ista tempora collocantur. Quod si formae verborum satis commodae interdum desint, id ipsi temporum naturae nihil detrahit, quae debet ex significatione, non e forma verborum iudicari. Quaré easdem formas saepius adhiberi necesse est, nunc ad definita, nunc ad relativa, nunc ad indefinita tempora indicanda. Ita futurum γράψω nunc definiti temporis vim habet, quae proprie sic exprimitur, μέλλω γράφειν, nunc relativum tempus continuatumque alio futuro tempore significat, nunc denique futurum notat indefinitum sive aoristum.

CAP. XX.

De modis.

Postremo loco in coniugatione spectandi sunt modi, quibus indicatur, utrum aliquid vere fiat, an fieri possit, an denique fieri debeat. Vnde quum tres omnino modi sint, indicativus, subiunctivus, imperativus, mirum fortasse videbitur, quod omnium gentium grammatici quartum addiderint, infinitivum, Graeci etiam quintum, optativum. Ac de optativo quidem infra dicetur. Infinitivus vero, quo nihil nisi nudam verbi cuius-

que ſignificationem contineri ſupra adnotavimus, propterea videtur a grammaticis inter modos numerari, quia, quum praeter infinitivum nulla ſit verborum in univerſa coniugatione pars, quin flexione ſua et terminatione modum indicet, infinitivorum formae eatenus certe ad modorum notationem trahi poterant, quatenus detractionem ſignificant modorum. Idem factum videmus in caſibus, inter quos quum nominativus, qui nullam relationem notet, iniuria referatur, tamen propterea caſibus adnumerari ſolet, quia, quum caeteri caſus terminatione ſua aliquam relationem indicent, huius terminatio certe omiſſionem contineat relationis. Infinitivus quidem utrum modis verborum adnumerandus eſſet, necne, iam dubitavit Apollonius Dyscolus, grammaticus admodum ſubtilis atque eruditus, cuius de ea re disputatio legitur in lib. III. de Syntaxi cap. 13.

Qui igitur veri ſunt in verbis modi, eorum primus pertinet ad veritatis ſignificationem, isque ὁριστικὸς a Graecis, INDICATIVVS a Latinis vocatur. Eius quidem tam plana eſt atque aperta ratio, ut explicatione nulla indigeat.

Alter modus eſt is, quo fieri aliquid poſſe indicatur, isque CONIVNCTIVVS a Latinis vel SVBIVNCTIVVS dicitur. Graeci autem hunc modum in duos distribuerunt modos, quorum unum ὑποτακτικὸν vocarunt, cui deſignando Latini ſua coniunctivi vel ſubiunctivi nomina adhibent; alterum dixerunt εὐκτικόν, quem OPTATIVVM Latini appellant. Atque admodum ſubtilis et erudita in hoc conſtituendo discrimine cernitur Graecorum obſervatio et ſagacitas. Nam duplex omnino ratio eſt, qua quid fieri poſſe dicatur, altera, quam

obiectivam philoſophi vocant, quum quid per ipſarum rerum conditionem fieri poteſt; altera, quam ſubiectivam dicunt, quum ſola rei alicuius cogitatio ſibi ipſa non repugnat, ſive reipſa fieri poſſit id, quod cogitatur, ſive non poſſit. Igitur modo coniunctivo ea, quae per ipſam cuiusque rei naturam fieri poſſent, Graeci notarunt, optativo autem, quae poſſent cogitari.

Vltimum denique locum tenet modus IMPERATIVVS, quo neceſſitatis continetur ſignificatio, in quo idem diſcrimen, quod inter coniunctivum et optativum eſt, infra declarabimus.

CAP. XXI.

De coniunctivo et optativo.

Igitur ut ordine procedat diſputatio noſtra, omiſſo indicativo, in quo nihil difficultatis eſt, primo loco de coniunctivi et optativi ratione dicatur. Ex illo modi coniunctivi atque optativi diſcrimine, quod ſupra indicavimus, multa poſſunt explicari, quae aliter obſcura forent. Ac primum hinc intelligitur, quare coniunctivus non niſi ita, ut ex alio verbo pendeat, optativus autem etiam nudus et ſine aliorum ſocietate verborum adhibeatur. Nam ſi coniunctivi haec propria vis eſt, ut, quae per ipſam rei naturam fieri poſſint, indicet, neceſſarium erit, ut, quare quid fieri poſſit, in unaquaque enunciatione expreſſum ſit. Hoc enim niſi fiat, non poterit diiudicari, utrum aliquid ipſa rei natura fieri poſſit, an cogitetur dumtaxat fieri

poſſe. Itaque pleraeque loquutiones, in quibus abeſt verbum, e quo pendeat coniunctivus, merito videntur ſic explicari a grammaticis, ut id ipſum verbum, quo regatur coniunctivus, figura illa, quae ellipſis vocatur, omiſſum dicant, veluti in hoc exemplo, ἴωμεν, quod plene ſi dicitur, eſt ἄγε ἵνα ἴωμεν. Atque conſimili modo equidem omnes coniunctivi uſus verbo, quo regantur, deſtitutos explicari debere contenderim. E quibus hic quidem facillimus eſt, τί φῶ; τί δρῶ; quod plene ſic dicetur, σήμηνον, vel ὀυκ οἶδα; τί φῶ. τί δρῶ, ut θέλεις, μένωμεν; Aliud exemplum eſt hoc, ὀυ μὴ εἴπω, quod eſt ſic explicandum, ὀυ, φυλακτέον, μὴ εἴπω. Denique illa ratio, qua Homerus maxime uti ſolet, ut coniunctivus cum particula ἂν coniunctus futuri habeat ſignificationem, in qua re alii ſcriptores fere optativo et particula ἂν uti ſolent; ea igitur ratio licet fortaſſis eo excuſari poſſit, quod Homeri aetate ſermo Graecus nondum ſatis cultus et perpolitus fuerit, neſcio tamen an non minus, quam aliae coniunctivi conſtructiones, ex omiſſione aliqua nata ſit. Vt in his,

πληθὺν δ' ὀυκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, ὀυδ' ὀνομήνω;

et,

εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι.

Quae ſic explicanda arbitror, ut intelligatur, ἔχοιμ' ἂν, ὅπως ὀνομήνω, ὅπως ἕλωμαι.

Contra optativus ſolus per ſe adhibetur, et recte quidem. Nam quum nihil aliud notet, quam cogitari aliquid ſine repugnantia poſſe, non eſt alio verbo opus, quo indicetur, quare aliquid recte cogitari queat. Quippe ad hanc rem ipſa tantum cogitatione uſus eſt. Igitur illa, λέγοιμ' ἂν, ἴοις ἂν, proprie ſignificare videntur, *dicere poſſim*,

ire possis, vel, omissa particula, λέγοιμι, ἴοις, *dicere possum*, *ire potes*. Ex hac autem significatione orta est optandi vis, e qua nomen huic modo accessit. Nam quum nihil optemus, nisi quod aliquo modo fieri posse videatur, quia hoc ipsum, optare, velle est, ut aliquid fit, quod esse si non posset, optari non posset: tamen, qui aliquid optant, non quaerunt, utrum aliquid re vera fieri possit, sed utrum fieri illud cogitari queat: propterea quia saepe fit, ut optemus ea, quae re vera fieri nequeunt. Ita optare aliquis, ut numquam moriatur, potest, quamvis re ipsa, ut non moriatur, fieri non possit. Quapropter merito Graeci non eum verbi modum, quo aliquid re vera fieri posse significatur, sed illum, quo indicatur, aliquid cogitari posse tamquam quod fiat, optandi potestate instruendum censuere.

Sed quando optativus modus non adhibetur optandi caussa, sane plerumque refertur aeque ut coniunctivus ad ea, quae non solum cogitari, sed etiam re vera fieri possunt. Quem quidem optativi usum inde natum esse patet, quod pleraque propterea cogitantur tamquam quae fieri possint, quia caussa aliqua sit, ex qua colligamus, ea fieri re vera posse.

Illud denique in modo coniunctivo atque optativo investigandum est, quare factum sit, ut e praesente ac futuro tempore plerumque coniunctivus, e praeteritis temporibus optativus pendeat, ita quidem, ut utriusque modi eadem prorsus vis videatur et significatio esse. Id quidem plerumque fieri dico: nam qui semper factum contendit, Dawesius, et qui hunc sequuntur, vehementer errant, quod alio loco copiosius demonstrabo. Quod si quis forte, quoniam temporum significatio in modo

optativo et coniunctivo aut nulla aut perparva insit, temporum discrimina a Graecis modorum diversitate indicata esse censeat, vereor sane, ne omissio significationis temporum in illis modis magis e modorum significatione, quam modorum significatio ex omissione significationis temporum orta sit.

Sed aliquid tamen de hac re nunc quoque dicendum arbitror. Atque ut supra dictum est, quum ad singula facta referantur modi, non possunt non omnium temporum adiunctam significationem habere. Nullum enim cogitari factum potest, quin quocumque in tempore collocari queat, quandoquidem facta omnia non stabilem perpetuamque conditionem, sed certis inclusam temporis limitibus indicant. Partem igitur temporis implent, quae aut certa ac definita, aut indefinita, aut ex alia temporis parte suspensa esse potest. Neque vero in hac re quidquam interest, utrum factum aliquod vere fieri, an fieri posse, an fieri debere cogitetur. Quidquid enim horum sit, manet facti natura, id est actio certis inclusa temporis finibus. Quamobrem necessarium est, ut non solum indicavus modus, quo ipsa eventuum veritas significatur, sed etiam reliqui modi, qui possibilitati ac necessitati indicandae destinati sunt, temporum omnium notationem admittant. Sed in hac re dissentiunt ferme gentium linguae. Vt in Graecorum lingua plura, quam in aliis linguis, reperiuntur imperativi modi tempora, nec tamen omnia. Contra coniunctivi atque optativi temporibus Graeci multo sunt, quam alii, pauperiores. Quod quidem non potest non vitio verti Graecae linguae, quae hanc ipsam ob caussam multa obscurius exprimat necesse est, quam aut Latina, aut Germanica, et quae ex his ortae sunt linguae. Nam isti quidem

perabsurdi homines sunt, qui in Graecorum coniunctivo atque optativo relativorum temporum significationem simul definitorum temporum formis contineri putant. Nam qui tandem fieri potest, ut tempora non solum diversa, sed etiam plane contrariae naturae iisdem verborum formis indicentur? Sic coniunctivum et optativum praesentis simul etiam imperfecti coniumctivum atque optativum esse existimant. Atqui imperfectum dupliciter contrarium est praesenti, primo, quod praeteritis temporibus adnumerari debet, deinde quod, quum praesens certum definitumque sit, ipsum ex alio tempore pendet. Qui ergo tam repugnantia iisdem formis comprehendere cuiquam in mentem venerit? Immo nihil amplius dubitabimus, quin Graeci relativorum temporum coniunctivis atque optativis careant. Sed eorum tamen notatio ab nulla lingua commode abesse potest. Nam si quis dicat, ἦλθον, ἵνα παρῶ, quis diiudicet, utrum id sit, *veni, ut adsim*, an, *veni, ut adessem*? Qui autem dicat, ἦλθον, ἵνα παρείην, non magis forma quidem temporis indicaverit, utrum horum velit. Peropportune tamen Graecis contigit, ut, quum relativorum temporum in coniunctivo et optativo notatione careant, modum tamen duplicem habeant, coniunctivum atque optativum. Quorum altero ferme definita tempora, altero relativa indicant. Id primus, nisi fallor, observavit Dawesius: sed hic quum caussam huius rei non intelligeret, totam rem non intellexit. Itaque, ut solet, ferox invento, legem putavit ferendam esse, quam quum Attici scriptores semper, tum, qui aliis usi sunt dialectis, plerumque servaverint. Atque quum nullis, nisi poetarum exemplis, in quibus metri ratio veram lectionem argueret, refutari se posse censeat, prosae orationis scriptores pro suo

fectatorum fuorum libidini expofuit. In Thucydide quidem nulla erit pagina, quin aliquot locis ex ifta Dawefii lege corrigenda fit. At fane quidem ille hoc vere obfervavit, definita tempora coniunctivo, relativa optativo indicari. Verum non illud tam late patet, quam ipfe putat: neque omnino, fi quis ex vero rem aeftimare velit, temporum aliorum in iftis coniunctivis atque optativis notatio ineft, quam quorum illi temporum coniunctivi funt atque optativi. Nimirum quoniam coniunctivus, ut fupra dictum eft, poffibilitatem obiectivam notat, fieri non poteft, quin is modus de eo ipfo tempore, cuius eft, intelligatur: ἦλθον, ἵνα παρῶ; *veni, ut adfim.* Qui fi quando a Graecis fic adhibetur, ut relativum tempus indicare videatur, primo videndum eft, ne huiusmodi loci explicatione adiuvandi fint; deinde, ut ifta fignificatio non poffit evitari, vitio id linguae potius dandum erit, relativis coniunctivorum temporibus carenti, quam facienda emendatio, quae non fcriptorum, fed linguae foret correctio. Quod autem dixi, poffibilitatem obiectivam poftulare, ut coniunctivus de eo tempore, cuius eft coniunctivus, intelligatur, id huiusmodi eft. Coniunctivo indicatur, non cogitari aliquid, tamquam quod fieri poffit, fed revera fieri poffe. Id igitur fi, quo tempore fieri poffit, fignificandum eft, quodnam tempus adhibeamus? Num illud, quo non debere fieri, an illud, quo poffe fieri cenfemus? Igitur ἦλθον, ἵνα παρῶ, non poterit fignificare, *veni, ut adeffem* fed fignificabit, *veni, ut adfim.* Diverfiffima enim ex his temporibus confequutio nafcitur: qui venit, ut adeffet, adfuit; qui venit, ut adfit, adeft. Optativi alia ratio eft. Is enim quoniam poffibilitatem fubiectivam indicat, totus ad mentem cogitantis de aliqua re refertur. Itaque qui dicit, ἦλθον, ἵνα παρείην, hoc

sibi consilium fuisse indicat, ut adesset, id autem incertum relinquit, utrum id consilium vere effectum dari potuerit, necne. Euripides in Hecuba:

πολὺν δὲ σὺν ἐμοὶ χρυσὸν ἐκπέμπει λάθρα
πατὴρ, ἵν' εἴ ποτ' Ἰλίου τείχη πέσοι,
τοῖς ζῶσιν εἴη παισὶ μὴ σπάνις βίου.

Εἴη dicit, quia volebat quidem hoc Priamus, sed an vere eventurum esset, ignorabat. Neque evenit. Occidit enim Polydorum Polymestor, et potitus est auro. Sed ex hac ipsa vi optativi intelligitur, quare hic modus possit etiam de aliis temporibus adhiberi, quam quorum proprie temporum modus est. Nam quae optativo modo dicuntur, quum non significent ea, quae revera fieri possint, sed quae fieri posse cogitentur, consequens est, ut optativus non referatur ad id tempus, quo fieri possit aliquid, sed quo cogitatur fieri posse. Is igitur modus si praesentis temporis est, non significabit possibilitatem alicuius rei nunc praesentem, sed praesentem tum, quum quis eam cogitaret. Et ita etiam in aliis optativi temporibus. Quare qui dicit, ἦλθον, ἵνα παρείην, proprie hoc indicat, venisse se eo consilio, ut adesset: quod consilium quia eo ipso tempore, quo venit, praesens ei erat, praesentis optativo utitur: eoque incertum relinquit, utrum hoc consilium effectum eatur hoc ipso tempore, quod nunc praesens est, an ante hoc itum fuerit effectum. Quod quum animadvertissent Graeci, defectum relativorum coniunctivi temporum optativo compensarunt, non quod optativus natura sua relativa ista indicaret tempora, sed quod non, ut coniunctivus, rem ipsam in definitis temporibus collocaret. Illustrabo rem Homeri loco in Odyss., III. 76. quem ipsum Dawesius attulit.

αὐτὴ γὰρ ἐνὶ φρεσὶ θάρσος Ἀθήνη
θῆχ', ἵνα μιν περὶ πατρὸς ἀποιχομένοιο ἔροιτο,
ἠδ' ἵνα μιν κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν
ἔχησιν.

Vltimum versum Dawesius, quod regulae suae repugnet, spurium pronunciavit: quo nihil facere potuit imperitius. Ἔρηται dicere Homerus recte non poterat. Eo enim significasset, de patre non tunc percontandum fuisse Telemacho, sed nunc, quo tempore ipse poeta hoc narraret. Itaque ἔροιτο dixit, quod etsi praesens est, indicat tamen consilii tantum in animo Minervae praesentiam, illud autem non definit, quo tempore eventurum hoc consilium sit. In altero versu vero ἔχοι sane poterat dicere, quippe pariter animo concipiebat Minerva futuram Telemachi famam. Sed eamdem rem recte poterat etiam coniunctivo ἔχησιν exprimere, quandoquidem non famam indicat tunc tantummodo florentem, quum patrem quaereret Telemachus, sed durantem illo adhuc tempore, quo ista ipse Homerus referebat. Quod si haec aut Dawesius, aut qui huius auctoritatem temere sequi consueverunt, satis perspecta habuissent, multos veterum locos non corrupissent perversis emendationibus.

Praeterea observandum est, coniunctivo futuri Graecos non esse usos. De qua re quum alii hic illic dixere grammatici, tum optime omnium Apollonius lib. III. de syntaxi cap. 30. p. 271. seqq. Confer praeterea Abreschium in Misc. Obss. novis vol. III. p. 12 seqq. Nec Latini hunc modum habent, nisi quum circumscriptione utuntur. Quamquam caussa nulla fuit, quare hic modus omitteretur. Nam etsi, ubi eo usus est, vel coniunctivum aliorum temporum, vel indicativum futuri adhibent

Graeci, id saepe tamen negligentius, quam rectius, faciunt. Nam neque aliorum temporum coniunctivi habent futuri temporis significationem, neque futuri indicativus possibilitatis notionem continet, sed rem ut vere futuram notat. Quare non defensione, sed excusatione indigent. Ac λέξομεν, ἵνα εἰδῆτε, quum dicunt, id ferri propterea potest, quia intelligere aliquem id, quod ei quis dicturus sit, ut praesens poni in futuro tempore potest. Quum autem dicunt λέξομεν, ἵνα εἰδήσετε, sic censuerunt, ea, quae futura sint, propterea ut possibilia cogitari posse, quia nondum facta sint. Similis est constructio particularum ὡς, ὅπως, ἵνα, ὄφρα cum indicativis praeteritorum temporum, quam ubique male intellexit Brunkius, id quod in syntaxeos explicatione demonstrabimus.

Cap. XXII.

De imperativo.

Sed dicatur denique etiam de MODO IMPERATIVO. Is in nulla lingua, quantum equidem sciam, reperitur integer. Ac primum quidem quod ad personas attinet, primam imperativi personam nulla lingua agnoscit, Germanica aliaeque ne tertiam quidem, quam Graeci tamen et Romani habent. Primam quidem personam vulgo putant ab imperativi natura prorsus abhorrere, quia nemo sibi ipse imperare possit. Et ita videtur Apollonio in lib. III. de syntaxi cap. 25. Ac profecto qui sibi ipse imperaret, is ea re duplicem personam in se susciperet, alteram imperantem, alteram, cui imperaretur.

Quae quum non possFet non esse a priori diversa, etiam qui ipse sibi imperaret, secunda deberet persona uti. Sed ista disputatio sic demum vera foret, si totum illud imperare proprium esset modi imperativi. Atqui id non minus fortuitum est in hoc modo, quam optare in optativo. Nihil enim nisi omnino aliquam necessitatem imperativo modo declarari, vel ex tertia persona colligi potest: quippe non possumus absentibus imperare. Itaque *esto* exempli caussa necessitatem tantum alicuius rei indicat, minime imperium. Propemodum enim idem est, ac si quis dicat, *debet esse*, hoc tantum discrimine, quod in his, *debet esse*, necessitas continetur verbi significatione, in hoc autem, *esto*, in modi natura posita est. Scilicet quemadmodum is modus, quo possibilitas indicari debet, duplex est, alter obiectivam, alter subiectivam possibilitatem significans, ita simile quid in imperativo licet animadvertere. Etenim etiam necessitas duplex est, altera obiectiva, quae ex rei cuiusque natura argumentis colligitur, ut, *qui sapiens est, mortem contemnat necesse est*; altera autem subiectiva, quae non ex rerum, de quibus loquimur, natura, sed ex nostro arbitrio, nostraque voluntate oritur, ut, *morere*. Vtrique necessitati suae quaedam verborum formae destinatae sunt; obiectivae necessitati adiectiva verbalia, quae in Latinis verbis gerundia dicuntur, ut ἰτητέον ἐστιν, *eundum est*. Eaque nunc activam vim habent, ut ταῦτα φυλακτέον, *agitandum est vigilias*, aut passivam, ut οὗτος φυλακτέος, *hic cavendus est*. Subiectivae necessitati autem imperativus, qui proprie dicitur, assignatus est, ποίει, ποιείτω, *fac*, *facito*. Nunc sicut secunda et tertia persona huius imperativi hanc vim habent, *impono tibi*, *impono illi necessitatem aliquid faciendi*, quidni etiam

prima persona recte adhiberi possit, quae significet, *impono mihi eam necessitatem*? Nimirum patet, hanc personam propterea non esse ab linguarum inventoribus additam, quia rarior eius usus erat, quum, qui sibi ipse aliquam necessitatem imponat, nihil agat aliud, nisi ut velit aliquid facere. Id igitur etiam dici poterat *volo*. Eadem caussa est, quare quaedam linguae etiam tertiam imperativi personam praeterierunt. Nam quum nequeamus absentibus voluntatem nostram significare, satis visum est, si quis eos facere quid vellet, dicere, *debet ille hoc facere*, propterea quod, quum subiectivam necessitatem absenti imponere non possimus, obiectiva utendum est, sic, ut dicamus fieri aliquid debere, sed id ut fiat, non posse nos efficere. Sed quum ea res, quam alloqui aut non possumus, aut nolumus, in nostra potestate posita est, maxime desideratur tertia imperativi persona. Quare quod Latini dicunt, *hoc positum nobis esto*, Germani non possunt satis apte exprimere, quos aut, *dieses soll so seyn*, aut, *dieses sey so*, dicere necesse est.

Sed videndum nunc est de temporibus imperativi: de quibus duobus in locis disputavit Apollonius Dyscolus, in lib. I. cap. 36. et in lib. III. cap. 24. Verum is rem minime exhausit. Non enim imperativi naturam satis perspexerat. Dixi supra subiectivam necessitatem exprimi imperativo. Id huiusmodi est, ut imperativus non possit non semper ad personam eius, qui loquitur, referri. Hoc ipso enim cernitur subiectiva vis imperativi, quod is, qui loquitur, ipse necessitatem alicuius rei sua voluntate constituit. Atqui persona loquentis semper in praesenti tempore collocatur, propterea quod ex hac persona omnis oratio pendet, ad eamque refertur. Neque enim ullae

aut praesentium aut praeteritorum aut futurorum temporum distinctiones fieri possent, nisi ex aliquo certo penderent tempore, in quo esset is ipse, qui eas facit. Qui quae de se et suis cogitationibus dicit, ea praesentia sunt, quibus alia ut praeterita, alia ut futura adnectuntur. Ad hanc igitur loquentis personam quum necessario referantur omnes imperativi, praesentis aliquam significationem comprehendant necesse est. Eoque factum est, ut quaedam linguae solum praesentis temporis imperativum adsciscerent. Porro quoniam necessitas illa, quae imperativo indicatur, ex voluntate loquentis, ut ex caussa sua, prodeat, qua quod efficiatur, non potest non posterius hac caussa esse, visum est Apollonio aliisque etiam futuri significationem tribuere imperativis, ita ut imperativos, qui formam futuri habent, ut γραψέτω, εἶπε, aliorum magis temporum, quam futuri esse imperativos censerent. Quod illi non satis recte videntur fecisse. Nam etsi hoc verissimum est, imperativos necessario et praesentis habere significationem, quia referuntur ad personam loquentis, et futuri, quia posteriores caussis effectus sunt: nihilo tamen minus omnium temporum et cogitari et formari imperativi potuerunt. Nimirum ea res, cuius necessitatem voluntate nostra constituimus, quoniam etiam extra nos posita esse potest, quocumque poterit in tempore collocari. Quae si est in praesenti tempore, difficultatem explicationis nullam prorsus habet. Sin est in futuro, certe non magnam, quia quocumque demum tempore futuram esse velimus, posterior erit caussa sua. Paullo maiorem habet difficultatem, si est in praeterito tempore, quoniam repugnare hoc sibi videtur, effectum caussae praecedere. Verum hoc minime sic est. Nam omnium imperativorum praeteriti temporis haec vis est, ut

ad solas cogitationes praeteritarum rerum referantur. Atqui cogitationes praesentes sunt. Apollonius haec exempla affert: κεκλείσθω ἡ θύρα, et γεγράφθω. Patet, si ianua non sit clausa, frustra esse eum, qui κεκλείσθω ἡ θύρα dicat. Si ianuam non clausam claudi vult, dicendum est, κλειέσθω ἡ θύρα. Quod si illud praeteritum, ut clausa sit ianua, imperativo modo exprimere vult, non potest hoc aliter facere, nisi si rem cogitet ut praesentem, non, *clauditor ianua*, sed, *clausa esto*. Videndi Priscianus lib. VIII. p. 806. et Macrobius de differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi p. 735. Id magis etiam elucet ex iis exemplis, in quibus res, quam imperativo exprimimus, prorsus praeteriit, nec durat adhuc, ut, ἐκπεπορθήσθω ἡ Τροία ἐννέα ἔτεσι πρότερον. In talibus enim plane manifestum est, imperativum non nisi ad cogitationem rei praeteritae spectare, ut nihil aliud dicatur, quam, *sumptum hoc nobis esto*, *Troiam novem annis prius expugnatam esse*. Sed quoniam frequentissimus imperativorum usus in iis rebus est, quas nunc effectum dari volumus, factum est, ut in praeteritis, de quibus commode etiam aliis formulis dici potest, rarius imperativi adhibeantur, ac rarius etiam in futuris, quia, ut supra dictum est, quocumque imperativo continetur res futura. Sed facile intelligitur, οἶσε non minus aptam imperativi formam esse, si eo res olim futura significetur, quam φέρε, quo eam rem nunc statim fieri debere indicamus.

Reperiuntur autem apud Graecos non solum in definitis temporibus imperativi, sed etiam in aoristis. Idque merito. Eorum eadem vis est, quae proprie est aoristorum. Atque in praeterito quidem tempore qui sunt aoristi, eorum imperativus

indicat, rem aliquam perfectam esse debere, non addito tempore certo, quo debeat esse perfecta, ut in his, quae affert Apollonius, γράψον, σκαψάτω τὰς ἀμπέλους. Ea ille observavit hoc differre a praesentis imperativis γράφε et σκαπτέτω τὰς ἀμπέλους, quod, quum imperativis praesentis aliquis iubeatur istis negotiis occupatus esse, aoristi praecipiant ea absolvere. Praesentis aoristus in imperativo, ut in reliquis modis, eamdem cum definito et relativo praesente formam habet; significatione tamen diversus est. Sic ἄκουε sicui acclamamus, definito utimur praesente: nunc enim eum audire iubemus. Ἱππεύων μάχου autem quum dicimus, tum pugnare aliquem iubemus, quum equo insideat. Denique si dicimus, πείθου τοῖς σοφωτέροις, neque definitum, nec relativum tempus, sed aoristum intelligi volumus, et, quod praecipimus, faciendum censemus quocumque tempore. Eadem aoristi futuri ratio est. Μέλλε φέρειν definiti futuri est, quo iubemus aliquem se nunc ad portandum aliquid parare. Ὁδοιπορῶν οἶσε relativi futuri est, quo ferendum quid indicamus tum, quum quis iter faciat. Denique vero οἶσε τὰ προσερχόμενα κακά qui dicit, aoristo utitur, ut eo quamcumque futuri temporis partem comprehendat.

Imperativorum relativi praesentis et futuri exempla modo attulimus. In praeteritis autem temporibus nullas his formas reperimus destinatas esse. Nihilo tamen secius horum quoque temporum imperativi sunt. Nam si quis diceret, *sumptum hoc nobis esto, nos adfuisse, quum Troia caperetur*, aut, *discessisse nos, antequam caperetur*, is, si modo formae horum imperativorum exstarent, imperativis imperfecti et plusquamperfecti uti deberet. Nam ista si ut vere facta narrantur,

his temporibus usus est: *aderamus, quum Troia expugnaretur; discesseramus, quum expugnaretur.*

Ex his, quae de imperativis disputata sunt, iam denique etiam adiectivorum verbalium et gerundiorum ratio clarius elucescet. Iis obiectivam necessitatem significari diximus. Atque huius quoque non potest non ea ratio esse, ut aliquid propter aliquam praecedentem caussam futurum esse indicetur. Continent ergo adiectiva verbalia pariter atque imperativi futurae rei significationem, ut, ποιητέον ἐστὶν, *faciendum est.* Huius autem rei necessitas quum in quocumque tempore collocari possit, adiuncta habere potest omnium temporum verba, ut *faciendum est, fuit, erit, fuerat, fuit, fuerit.* Sed quoniam haec obiectiva necessitas est, habet longe aliam vim, quam imperativi horum temporum. Quod si exempli caussa praeteritae rei necessitas designanda sit, ea necessitas si obiectiva est, in ipsa rerum conditione posita fuerit necesse est, ut, *faciendum fuit*; sin subiectiva tantum est, non poterit in ipsa re quaeri, tamquam quae per se fuerit facienda, sed in animi nostri cogitatione posita erit, rem fuisse iubentis. Id igitur dicetur πεποιήσθω, *factum esto*, quo aliquid iubemus tamquam factum cogitari, seu factum illud sit, seu non sit factum.

CAP. XXIII.

De participio.

Nunc vero de participio dicatur, quam disputationem propterea differendam putavimus, quo cla-

riorem praegressa temporum explicatio ei lucem praeberet. Ac supra, quum de partibus verbi exponeretur, participium diximus nomen esse. Est autem nomen adiectivum, quo quae continetur qualitas, ea quum sit e verbis petita, facile intelligitur, sicuti verborum, ita participiorum quoque triplex genus esse, activum, passivum, et medium. De quorum discrimine quoniam supra satis explicatum est, nihil attinet ista nunc repeti. Sed quum praedicatum illud, quod in verbis est, etiam temporum necessariam adiunctionem habeat, temporum quoque notatio participiis adhaeret. De qua re est accuratius dicendum. Etenim participium et praeteriti temporis reperitur, et praesentis, et futuri, sive definita haec tempora, sive aorista sint. In iis autem temporibus, quae ex alio tempore pendent, imperfecto plusquamperfectoque, nulla non solum apud Graecos, sed ne in caeteris quidem linguuis invenimus participia. Scilicet hic quoque comprobari videmus id, quod supra iam adnotatum fuit, ubique in linguarum conformatione vestigia reperiri diligentissimae observationis, qua mens humana et ratio etiam sui sibi minus conscia omnia pervestigare soleat. Etenim participia quum sint nomina, fieri non potest, quin, quod proprium est nominum, constantem aliquam permanentemque rerum conditionem significent. Cui si temporis notatio adiicitur, qua participia a caeteris nominibus differunt, id necessario tempus est, constans atque perpetuum, sive praeteritum illud sit, sive praesens, seu denique futurum. Illa vero permanens tempore quopiam conditio, quae participio exprimitur, potest aut definitis temporibus, aut indefinitis, id est aoristis, permanens cogitari. Vnde haec planissime intelliguntur definitorum temporum participia γεγραφώς, γράφων, μέλλων

γράφειν, indefinitorum autem γράψας, γράφων, γράψων. Omnia enim ſtabilem indicant conſtantemque conditionem eorum, de quibus dicuntur. Nam qui γεγραφὼς et γράψας dicitur, ſemper et ubique hac nota cognoſcitur, quod aut nunc aut aliquando ſcripſit; qui γράφων definito et indefinito tempore vocatur, hac, quod aut nunc, aut quacumque in parte praesentis temporis ſcribit; qui denique μέλλων γράφειν et γράψων, hac, quod aut nunc eſt aut omnino aliquando ſcripturus. Quod ſi qua eſſent pendentium ex alio tempore temporum participia, ea non conſtantem ac perpetuam, ſed fluxam ſibique ipſi repugnantem conditionem ſignificatura forent. Ita ſi quod eſſet imperfecti participium, quo verbi cauſſa nominaretur is, qui ſcribebat: id participium non eum eſſet ſignificaturum, qui aliqua omnino praeteriti temporis parte ſcribebat, (id enim exprimeretur participio aoriſti γράψας) ſed eum, qui ſcribebat certa quadam parte praeteriti temporis, qua aliud quid fiebat. Atqui non eſt aliud quidquam indicatum, quod factum ſit, quum quis ſcribebat. Ergo iſtiusmodi participium non poſſet non eum ſignificare, qui illo tempore ſcribebat, quo aliquid fiebat, quod non fiebat. Id igitur perinde eſſet ac ſi diceretur eodem tempore ſcripſiſſe, quo non ſcribebat.

Sed ne quis forte deeſſe exiſtimet participia, quae ad tempus referantur ex alio tempore pendens, ea temporum relativorum conditio neceſſario exprimitur definitorum temporum participiis, ut γράφων, γεγραφώς. Scribens enim quum is dicatur, qui in continuanda hac ſcribendi actione occupatus eſt, facile patet, eius actionis continuationem quocumque in tempore collocari poſſe, ut, *ſum ſcribens*, *eram ſcribens*. Nam ſcribentis

eadem manet notio, ſive ille nunc eſt ſcribens, ſive erat ſcribens, quo tempore aliud quid fiebat. Eodem modo γεγραφώς, vel *fatus* is eſt, cuius haec eſt permanens et ſtabilis conditio, ut ſcripſerit, ut fatus ſit. Quae conditio nihil mutatur, ſive is nunc eſſe dicatur γεγραφὼς vel *fatus* eſſe, ſive nunc fuiſſe, ſeu denique, quo tempore aliud quid fiebat factumve erat, fuiſſe. Cavendum eſt autem, ne quis putet, quemadmodum γράφων ſic explicari poſſit, *is*, *qui ſcribit*, γεγραφώς, *is*, *qui ſcripſit*, ita etiam haec, *is*, *qui ſcribebat*, *qui ſcripſerat*, exprimi poſſe ſuis quibusdam et propriis participiis. Nam ut exſtarent huiuscemodi participia, non alia tamen iis tribui potuiſſet vis, quam quae eſt in praesentis perfectique participiis. Etenim qui ſcribebat, γράφων, *ſcribens*; qui ſcripſerat, γεγραφώς, vel qui dixerat, *fatus* intelligitur, ita ut in iſtis participiis iſtud, *ſcribere* vel *ſcripſiſſe* vel *fatum eſſe*, tamquam permanens conditio inſit: quae quum poſſit quocumque in tempore collocari, qui ſcribebat, intelligetur ſcribens, tempore quidem eo, quo aliud quid fiebat; qui autem ſcripſerat, vel fatus erat, γεγραφὼς et *fatus* dicetur atque erit, ante quidem, quam aliud quid factum erat. Quamobrem recte dicimus, *ſtans verba fecit*, *facit*, *faciet*, *fecerat*, *faciebat*, *fecerit*; *ſic fatus abiit*, *abit*, *abibit*, *abierat*, *abibat*, *abierit*; *moriturus dixit*, *dicit*, *dicet*, *dixerat*, *dicebat*, *dixerit*.

Sed erunt fortaſſe, qui mirentur, quod nullam mentionem fecerimus participii futuri exacti. Quod tempus quum habeatur in iis, quae ex alio tempore pendent, non poterit ſane noſtra quidem ſententia participio inſtructum eſſe. Nec ſane occurrit eius temporis participium in quaquam lingua,

nisi quis huc referendum putet participium futuri Graeci eius, quod vulgo a grammaticis paullo post futurum appellatur. Ac grammatici quidem in ea opinione sunt, ut istam tertii vel paullo post futuri formam minime existiment futuri exacti significatione praeditam esse. Quo facilius, si huic sententiae accederemus, omnem illam quaestionem liceret profligare. Verum ego quidem quum non dubitem, quin vera et genuina istius formae significatio futurum exactum notet, de qua re alio loco dicetur, diligentius debebo de huius futuri participio exponere, ne ipse mecum pugnare videar.

Nimirum quamvis futurum exactum primo quidem adspectu eiusmodi tempus esse videatur, quod pendeat ex alio tempore, at nihilominus idem futurum aoristi significationem recipit. Nam sicut aliquid simpliciter indefinita aliqua parte futuri temporis eventurum dici potest, ita nihil impedit, quo minus in parte aliqua indefinita futuri temporis aliquid ut praeteritum collocari queat. Ita qui dicit *faxo*, hoc dicit, *effectum dabo*. Quo non indicat, se operam daturum, ut aliquid fiat, aut occupatum in aliqua re facienda fore, sed effecturum, aliqua res ut facta iam absolutaque sit futuro tempore. Nunc tertium illud Graeci verbi futurum non futurum exactum relativum, sed futurum exactum aoristum esse contendo, cui rei argumenta dicentur infra. Quapropter non est mirum, si hoc futurum participio praeditum est, quia hoc participium non est relativum, sed aoristum.

CAP. XXIV.

De infinitivo.

Transeo ad infinitivum, qui quum solam ac nudam contineat praedicati, quod in verbis inest, significationem, ea tantum adiuncta habeat necesse est, quae propria istius praedicati sunt, qualitatis rationem activam, passivam, et mediam, deinde temporum notationem. Ac de activa, passiva, et media verborum significatione satis supra expositum est. Temporum vero eadem in infinitivo, quae in participio, ratio est. Nam quae tempora participium non habent, eadem carent etiam infinitivo. Nimirum coniugatio, quae et personarum praedita est, et veritatis, possibilitatis, ac necessitatis notatione, quum referatur ad singula facta, necesse habet non solum definitorum atque indefinitorum, sed etiam relativorum temporum indicationem. Infinitivus autem, qui nudam praedicati notionem contineat, relativorum quidem temporum adiunctionem eadem caussa, qua participium, repudiat. Nam si quod tempus praedicato alicui adiicitur, id eiusmodi tempus sit necesse est, quod sibi constet, eoque certam et stabilem praedicati notionem reddat. Quod si tempus sit secum ipso pugnans, praedicatum et esse et non esse significabitur, eoque penitus tolletur. Merito igitur definitorum et indefinitorum temporum reperti sunt infinitivi, ut γεγραφέναι, γράφειν, μέλλειν γράφειν, γράψαι, γράφειν, γράψειν, exclusi autem infinitivi temporum relativorum, ut imperfecti et plusquamperfecti. Nam quos commemoravimus definitorum temporum infinitivos, γεγραφέναι,

γράφειν, μέλλειν γράφειν, indefinitorum autem, γράψαι, γράφειν, γράψειν, hi omnes conditionem notant firmam constantemque eius, qui aut nunc aut aliquando scripsit, scribit, scribet. Quod si qui essent relativorum temporum infinitivi, ut imperfecti et plusquamperfecti, quibus indicaretur conditio scribendi quodam praeterito tempore, quo aliud quid fiebat, necessarium foret, ut istiusmodi infinitivi, quoniam nihil indicant, quod eodem tempore cum ista scribendi conditione fuerit, conditionem significarent scribendi eo tempore, quo aliquid fiebat, quod non fiebat. Conditionem ergo notarent scribendi eo tempore, quod nullum esset tempus.

Neque vero desunt infinitivi, qui relativis temporibus designandis inserviant. Necessario enim ad eam rem finitorum temporum infinitivi adhibentur, qui quoniam perpetuum constantemque indicant statum eius, qui aliqua in conditione fuit, est, erit, possunt quocumque in tempore collocari. Quare si depositae alicuius conditionis status in praeterito aliquo relativo tempore collocandus est, quae est plusquamperfecti significatio, infinitivum Graeci adhibent perfecti definiti, ut, ἔτος λέγεται γεγραφέναι, ὅτε τις παρεγένετο, id est, *scripserat, quum quis advenit*; sin autem durans aliquo relativo praeterito tempore conditio indicanda est, quod imperfecti officium est, praesentis definiti infinitivo utuntur, ut, ἔτος λέγεται γράφειν, ὅτε τις παρεγένετο, id est, *scribebat, quum quis advenit.* Id Latini negligentius et parum apte dicunt, *scripsisse dicitur, quam quis advenit.* Quae loquutio servanda plusquamperfecto erat, quod iam quum non habeant quo infinitivo exprimant, ad alias verborum formulas confu-

giunt, ut, *ſcriptum ab eo fuiſſe dicitur*, *quum quis advenit.* Par ratio eſt, quum quid futuro in tempore ita tamquam praeteritum collocatur, ut ex quadam futuri temporis parte pendeat. In quo caſu futuri exacti infinitivus, γεγϱάψεσθαι, aliique ſimiles infinitivi non relativorum temporum ſunt, ſed aoriſtorum. Id quod tum ex eo cognoſcitur, quod relativorum temporum non poſſunt ulli eſſe infinitivi, tum infra in Graecae coniugationis expoſitione, quum de tertio futuro agetur, argumentis aliis exemplisque illuſtrabitur. Latinorum autem infinitivos eos, qui fortaſſe relativorum temporum videri queant, ut *ſcriptum fore*, *ſcripturum fuiſſe*, aut aoriſtorum eſſe, ut hunc, *ſcriptum fore*, aut utroque, et ad aoriſtos et ad tempora definita, referri debere, ut hunc, *ſcripturum fuiſſe*, ipſa haec verba *fore* et *fuiſſe* declarant, quorum alterum aoriſti proprium, alterum commune aoriſti definitique temporis eſt.

Cap. XXV.

De Graeca coniugatione generatim.

Explicata partium orationis natura ad ipſas earum in Graeco ſermone formas accedimus. Atque de nomine quidem et particulis ita iam pridem ab iis, qui Graecae grammaticae rationem expoſuerunt, disputatum eſt, ut nihil videatur hic locus noſtris indigere adnotationibus. Sed de verbo, quod maximas omnibus grammaticis difficultatas creavit, eo dicendum eſt accuratius, quo minus noſtra quidem ſententia iſta res virorum do-

ctorum disceptationibus exhausta est. Atque quum Tib. Hemsterhusius, vir summa et ingenii et doctrinae laude clarissimus, verborum Graecorum coniugationes multis magnisque laborare vitiis intellexisset, est is novam aggressus earum explanandarum rationem; quam illustratam a Lennepio in eo libro, quem scripsit de analogia linguae Graecae, et animadversionibus Everardi Scheidii auctam, alii deinceps plurimi sequuti sunt. Est autem huius sectae ea potissimum sententia, de plurimis variorum temporum formis, quae nunc in verbo Graeco reperiuntur, alias aliis esse originibus assignandas, aliquantoque plura, quam vulgo putetur, olim primitiva verba in Graeco sermone exstitisse. Quae sententia quamquam verissima est, si modestos intra limites sese contineat, a plerisque tamen eo usque amplificata est, ut, quidquid explicatu difficilius iis videretur, id ex obsoletis verborum, quae numquam exstiterunt, formis derivandum existimarent. In qua re nullius maior fuit temeritas, quam Hezelii, qui partem grammaticae Graecae, signis exclamandi, quam accurata doctrina pleniorem, ante paucos annos edidit. Scilicet scindere nodum, quem solvere nequeas, facillimum est. Quo magis laudanda est Ioannis Primisseri modestia, qui in eo libello, quem contra Trendelenburgium edidit, ita adversus istorum sententiam disputavit, ut eam haud parum videatur labefactasse. Sed mittam ego alios, et, quid mihi de hac re omni videatur, dicam.

Ac nemo sane dubitare potest, quin longe maior olim in Graeco sermone exstiterit verborum copia, quam quae illis aetatibus, quarum ad nos monumenta pervenerunt, in usu fuere. Id enim tum quaedam exempla talium verborum hic illic

ſervata monſtrant, tum grammaticorum auctoritas docet, quamquam non illa ubique ſatis certa, tum vero etiam verborum inter ſe comparatio manifeſtum reddit. Sed illud in hac re maxime videndum eſt, ut hac ipſa verborum comparatione eas analogiae leges eruamus, quae et exemplis adhuc exſtantibus apta ſint, et repugnantia ex grammaticorum obſervationibus tollant.

Atque disputatio noſtra initium capiat a diviſione Graecae coniugationis. Duae enim omnino coniugationis formae exſtant, altera, quae in prima praesentis perſona ſyllaba ω, altera, quae ſyllabis εμι terminatur. Vtra earum antiquior ſit, neſcio an multum dubitari queat. Si quid tamen in tali re coniecturis aſſequi licet, eam, quae in ω exit, equidem antiquiorem putaverim. Nam et illae verborum formae, quas ſumma earum ſimplicitas antiquiſſimas eſſe arguit, ad hanc coniugationem pertinent, et tempora, quae maxime neceſſaria ſunt, in hac omnia reperiuntur. Contra quae in εμι exit coniugatio, neque niſi ex derivatis verborum formis orta eſt, et temporibus quibusdam maxime neceſſariis, ut futuro, caret. Quod ſi quis frequentiſſime utentium hac coniugatione Dorienſium et Aeolenſium morem obiiciat, quos plurimum antiquitatis conſervandae ſtudioſos fuiſſe ſcimus, vereor ne iſte non ſatis magnum habere momentum poſſit, quandoquidem in tanta antiquitate quis quaerat utrum quid paullo ſit magis, an paullo minus antiquum? Immo qui antiqua magis amant, magis etiam amant rariora, ut, ſi rarior iſta coniugatio fuit, quod negari non poteſt, non ſit mirum, quod ea Dorienſibus atque Aeolenſibus in primis placuerit.

Cap. XXVI.

De prima coniugatione.

Iam igitur videamus de prima coniugatione. Atque ut via quadam et ordine nostra procederet disputatio, quae sunt huius coniugationis tempora, eorum terminationes hac quasi tabula descriptas exhibui.

	Activum	*Passivum.*
Praesens - -	ω - -	ομαι
Imperfectum -	ον - -	όμην
Futurum - -	έσω - -	έσομαι
Aoristus - -	εσα - -	εσάμην
Perfectum - -	κα - -	εμαι
Plusquamperfectum	κειν - -	έμην

In his temporibus primo loco FVTVRVM occurrit, cuius aliter paullo, ac vulgo fieri solet, terminationem descripsi. Etenim litteram futuri characteristicam, quae vocatur, σ ponere solent, et futuri terminationem facere σω, ut ἄρω, ἄρσω; λέγω, λέξω. Quod non satis accurate fieri, multis argumentis cognoscitur. Primum enim parum verisimile est, Graecos, qui omnem sonorum asperitatem tantopere evitare studuerunt, maluisse duas consonantes, easque saepe satis molestas ad pronunciandum, coniungere, quam interposita vocali emollire soni duritiem. Quod si in quibusdam verbis consonantium vicinitatem tolerandam putarunt, ut in his, ἄρσω, λέξω, id tantum abest ut pro regula haberi possit, ut haec ipsa verba, quoniam non magnopere displicitura erant omissa vocali, ce-

leritate pronunciationis ex his, ἀρέσω, λεγέσω, nata videantur. Deinde illud medium ε inter consonantem verbi propriam et σ futuri in antiquissimis quibusdam verbis servatum videmus, ut in ὄλω, ὀλέσω, quo verbo equidem nullum puto aptius reperiri posse primae coniugationis exemplum. Porro longe gravissimum pro forma futuri έσω argumentum e futuro secundo, quod vocare solent, petere licet. Iam pridem enim viri docti intellexerunt, hoc secundum, quod dicitur, futurum minime a primo diversum esse, sed quum quaedam dialecti σ futuri omisissent, natam inde esse duarum vocalium έω contractionem in ῶ, quae futuri secundi nomen acceperit. Atqui unde tandem in illo futuro contractio nasceretur, nisi propria esset futuri vocalis ε? Itaque si futurum τυπῶ natum est ex τυπέω, necessarium est ut τύψω nihil sit aliud, nisi brevior propter pronunciationis celeritatem forma futuri legitimi τυπέσω: ex quo nunc litterae ε omissione τύψω, nunc littera σ eiecta τυπέω, quod in τυπῶ contrahitur, fieri coepit. Ea clare monstrat verbum ὄλω, cuius futurum est ὀλέσω, ὀλέω, ὀλῶ. Nam ὄλσω displicebat, quoniam asperius esse videbatur. Neque vero obiici hoc nobis poterit, si futurum secundum natura sua idem, quod primum, esset, non debere in eo longam vocalem, si quando ea in secunda a fine syllaba sit, in brevem mutari; quod quoniam fiat, futurum secundum non posse non ipsa natura et origine sua a primo diversum esse. Iure enim videmur nobis ad haec respondere posse, quum omnino magna libertate vocales in verborum coniugatione suavioris pronunciationis caussa mutari, tum eam mutationem in illa futuri conformatione percommode excusari posse. Nam quo magis eiecto σ ultimae syllabae corripiuntur, eo magis vox sese

debatur enim in multis verbis asperiorem habiturus pronunciationem esse, si omisso propter vocis celeritatem ε duae consonantes sese contingerent. Id quod maxime cernere licet in verbis, quorum propriae ante terminationem sunt litterae λ, μ, ν, ρ, στέλλω, ἔστελσα, νέμω, ἔνεμσα, φαίνω, ἔφανσα, καθαίρω, ἐκάθαρσα. Quae ut commodius pronunciari possent, visum est etiam σ eiicere, servata tamen mensura syllabarum. Quamobrem syllabae, quae deleto σ breves futurae erant, longam vocalem accepere: ἔστειλα, ἔνειμα, ἔφηνα, ἐκάθηρα. Eidem caussae debentur ἤνεγκα et εἶπα, quum ἤνεγξα et εἶψα displicuissent. Quin etiam semel inuenta hac forma quaedam verba, quae facile σ servare poterant ad illorum, quae eo carebant, similitudinem conformari coeperunt, ut ἔχευα, ἔκηα.

Sed dicendum hic est de trium verborum aoristis, qui prorsus contra morem et legem formati videntur, ἔθηκα, ἔδωκα, ἧκα. At enim vero hos equidem plane nego aoristos esse. Ac primum quidem si aoristi essent, id optime perspici deberet ex reliquis praeter indicativum modis. Quibus quum careant, magis augeatur dubitatio necesse est. Deinde aperte formam habent perfecti: adeo quidem, ut vitandae similitudinis caussa in his duobus ἔθηκα, ἧκα, perfectum Boeoticum obtinuerit, τέθεικα, εἷκα: quae perfecta si communi lingua proferrentur, τέθηκα forent et ἧκα. Vnde clarum esse arbitror, aoristos ἔθηκα et ἧκα nihil esse aliud, nisi perfecta, quae quum aoristorum significatione ferme acciperentur, fieri non poterat, quin, si quando perfecto usus esset, id ex alia dialecto adsciseretur. Nec mirum debet videri ἔθηκα neglecta duplicatione primae consonantis dictum. Haec

enim etiam in aliorum perfectis verborum negligitur. Exempla attulit Fischerus ad Wellerum in spec. II. p. 287. seqq. et p. 306. Quod si quis obiiciat formam ἐθηκάμην, cuius exempla quaedam commemoravit Fischerus ad Wellerum spec. II. p. 467. ea nihil nos morabitur. Quamquam enim ex perfecto deduci non potest, sed aperte ex aoristo formata est, tamen, quum et unica sit, et in solo indicativo modo occurrat, vix poterit dubitari, quin tum demum ex ἔθηκα orta sit, quum hoc perfectum iam penitus aoristi potestatem nactum esset, eoque posset aoristi instar haberi. Eiusdemmodi ratio est tertiae pluralis ἔδωκαν, ἔθηκαν, ἧκαν, quae propterea maxime ad aoristorum exemplum formata videtur, quia aoristi significationem hoc perfectum induerat. Quin constat, Alexandrinam maxime dialectum in perfectis eadem forma usam esse, ut πέφρικαν, ἔοργαν. Vide Fischerum in spec. II. p. 370. et Maittarium de dialectis p. 227.

Sequitur PERFECTVM. Quod quum syllabis εκα terminetur, omissa ob celeritatem pronunciationis littera ε non minus asperum saepe futurum erat, quam aoristus. Itaque ne γέγραπκα, δέδρεμκα, dicere cogerentur, placuit etiam κ interdum omittere, ut γέγραφα et δέδρομα dici posset. Qua forma semel recepta factum est, ut quaedam verba utramque terminationem haberent, ut ἔσπαρκα, ἔσπορα, πέφαγκα, πέφηνα. In ea autem forma, quae non habet κ, saepius consonans verbi propria cum alia cognata consonante permutata reperitur, ut πέπηχα et πέπηγα. Itaque hac maxime re adducti sunt grammatici, ut eas perfecti formas, quae consonantem verbi propriam, quam litteram characteristicam vocant, conservarent, perfecta medii esse vellent. Favet sane huic opi-

nioni quodammodo illud, quod plurima huius formae perfecta passivam significationem habent, ut πέπηγα, πέφηνα, πέποιθα. Verum recte iam pridem doctiores animadverterunt, quae vulgo medii formae in verbis putantur, eas omnes natura sua aut passivas esse aut activas, sed significationem paullatim aut neutralem induisse aut reciprocam. Atque si ista essent perfecta medii, non activi, divisio omnino falsa foret. Etenim medio non solum ea perfecta adnumeranda essent, quae servant litteram characteristicam, verum etiam illa, quae eam cum cognata littera permutant. Quare τέτυφα, λέλεχα, et similia nihil forent aliud, nisi illa ipsa medii perfecta, in quibus littera characteristica suavioris pronunciationis caussa in aliam mutata esset. Deinde vero, quae medii perfecta dici solent, nihil nisi activa esse, maximo argumento sunt verba contracta, hisce perfectis prorsus carentia. Quare enim iis careant, caussa aperta est. Nam quoniam vocalis terminationem antecedit, numquam poterat ingrata pronunciatio nasci, quae terminationem εκα abesse iuberet. Quod si qua tamen in his verbis essent istiusmodi perfecta, in iis propria verborum vocalis deberet terminationem α praecedere, non consonans. Quare per absurdo errore vulgo in grammaticis leguntur perfecta πέφιλα, τέτιμα: quae si exstarent, certe πεφίλεα, τετίμαα esse deberent.

Pergimus ad PASSIVVM, quod ultimarum syllabarum levi mutatione ex activo natum est. Neque opus est, ut in huius explicatione copiosi simus. Id dumtaxat repetendum est, quod iam alii monuerunt, futurum atque aoristum medii, quae dici solent, natura sua, id quod ipsa horum temporum terminatio docet, passiva esse. Aliud, idque gravissimum,

ex eorum significatu argumentum accedit. Nam futurum quidem medii, quod vocatur, passiva, id est, antiqua significatione saepissime reperiri constat. Idem in aoristis medii quidam fieri putarunt, cuiusmodi aliquot exempla proferre sibi visus est Abreschius in Misc. Obss. Vol. X. p. 216. Sed idem in novis Obss. vol. III. p. 34. ista exempla sic esse intelligenda vidit, ut servarent vim verbi medii. Nec sane, puto, quisquam aoristi medii ullum poterit exemplum proferre, quod vere habeat significationem passivam. Nam ex omnibus, quae in hanc rem a viris doctis congesta sunt exempla, duo tantum aliquam auctoritatis speciem habent, unum ex epigrammate incerti auctoris CLXXXIV. de Epaminonda,

ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν,

sic Latine redditum a Cicerone,

consiliis nostris laus est attonsa Laconum;

alterum Xenophontis Ephesii I. 13. p. 24. *κἀνταῦθα οἱ μὲν ἐῤῥίπτουν ἑαυτοὺς ὑπ' ἐκπλήξεως εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἀπώλλυντο, οἱ δὲ ἀμύνεσθαι θέλοντες ἀπεσφάξαντο.* Verum in epigrammate isto quid est, cur *ἐκείρατο* non possit significationem mediam habere, quasi quis dicat, *nostris consiliis Sparta gloriam exuit*? In Xenophonte autem miror quod Locella lectionem codicis Flor. *ἀπεσφάζοντο* vitiosam pronunciavit, quae certe propius ad veram lectionem, quam vulgata, accedit. Ἀπεσφάζοντο enim scribendum esse, quum temporum ratio et praecedentia imperfecta docent, tum ea ostendunt, quae in principio sequentis capitis leguntur: *ἀκούσας ὁ Κόρυμβος, εὐθὺς ἐκέλευσε φείσασθαι φονεύοντας.*

CAP. XXVII.

De secunda coniugatione.

Accedo ad secundam coniugationem, quae quo melius uno conspectu comprehendi queat, omnia eius tempora, ut in prima coniugatione factum est, terminationibus suis indicanda putavi.

	Activum	Passivum
Praesens - -	ημι - - -	ημαι
Imperfectum -	α (αν) -	ήμην

Sed hanc coniugationem Buttmannus non putat peculiaris coniugationis loco habendam esse. Quod ille qua ratione intelligi velit, non satis clare indicavit. Nam quod verba in μι exeuntia omnimodis dicit anomala esse, id et verum esse potest, et falsum: verum, si de tota hac coniugatione intelligitur; falsum, si ad singula verba spectat, quae videtur Buttmanni opinio esse. Nam coniugatio ista firmas quidem habet constantesque regulas: sed quoniam non omnia tempora complectitur, haud multum refert, si ea, quae habet tempora, dicantur exceptiones esse ab regulis iis, quae alteram coniugationem constituunt. Verum singula verba in μι terminata si quis irregularia esse censet, is in eo fallitur, quod neglectas putat leges coniugationis in μι terminatae, quum verius negligantur leges coniugationis in ω exeuntis. Quod si aliqua exempla verborum occurrunt, quae non de more flectantur, ut εἰμί, εἶμι, κεῖμαι, ea quis non videt quam facile ad coniugationis huius rationem accommodari possint origine eorum indicata, quae est

ἔεμί, ἔεμι, κέεμαι. Eodem modo Boeoti dicebant νόειμι, νενόειμι. Vide Maittarium de dialectis p. 237. Caeterum haec omnis coniugatio, quae praesens tantummodo et imperfectum complectitur, Doricae videtur originis esse. Quare eam ab Aeolensibus maxime usurpatam accepimus.

Sed in hac coniugatione tempori praesenti terminationem feci εμι, non μι, ut vulgo solet. Nam quum haec coniugatio nata sit e verbis puris, ut θέω, ςάω, πίω, δόω, δύω, fieri non posset, quin, si terminatio esset μι, syllaba, quae ante terminationem est, brevis esset, τίθεμι, δίδομι. Quae quum longa sit, terminatio huius coniugationis εμι sit necesse est. Nam τίθημι, δίδωμι non potuerunt nasci, nisi ex τιθέεμι, διδόεμι. Eadem imperfecti ratio est, quod e verbo ἔα, unde est ἦν, terminari debebat litteris εα. Sed omitti coepit ex his litteris prior, ita ut α sequeretur statim vocalem verbi propriam, ut ἐτίθεα, ἐδίδοα, quae Ionum lingua usurpabantur. Postea coalescentibus hisce litteris additum est ν, ut in plusquamperfecto primae coniugationis, ἐτίθην, ἐδίδων. Atque omnino littera ε in forma secundae coniugationis non nisi in singulari numero praesentis necessario servatur. In duali autem et plurali numero praesentis, totoque imperfecto plerumque abiicitur ε, ut nuda maneat vocalis verbi propria. Nam tertia persona pluralis, τιθεῖσιν, ἱστᾶσι, διδοῦσι, ζευγνῦσι non potest in contrariam partem afferri. Etenim haec propterea longa est, quia nata est ex ἔασιν, abiecta ε, unde τιθέασιν, ἱςᾶσι, διδόασι, ζευγνύασιν Ionicae formae, quarum contractione communes formas oriri vel accentus docet. Ἔασιν autem ex ἐντί, vel magis ex ἐαντί exstitit, quod deleta consonante, ut mensura eadem verbo constaret, longam vocalem

requirebat. Eodem modo in prima coniugatione πεφρίκαντι, ὄλοντι, τύπτοντι, φιλέοντι in πεφρίκασιν, ὄλεσι, τύπτεσι, φιλέεσι mutatum fuit. Similis et maior etiam contractio est in dativis nominum tertiae declinationis pluralibus, ut γέρεσιν, ἱμᾶσι, χαρίεισιν, e γερόντεσιν, ἱμάντεσι, χαριέντεσιν. Atque aliud exemplum praebet aoristus primae coniugationis, in quo quum ἐκάθαρσα et similia syllabam, quae ante ultimam est, positione longam habeant, omissa consonante longa vocalis successit ἐκάθηρα.

In passivi secundae coniugationis praesente et imperfecto omissio litterae ε propemodum in omnibus verbis usitata est, ut brevi vocali dicatur τίθεμαι, ἵσταμαι, φθίμαι, δίδομαι, ζεύγνυμαι. Nec tamen hoc nisi licentia quadam fieri, ea verba ostendunt, quae istam litteram servant, ut δίζημαι. Fuit enim hic mos Aeolensium, ut etiam in passivis longam syllabam adhiberent: ex quo colligi posse existimo, antiquiorem hanc formam fuisse. Etymologicum M. p. 45, 53. ἀκάχημι, ὁ παθητικὸς ἐνεστώς, ἀκάχημαι. οἱ γὰρ Αἰολεῖς τὴν παραλήγουσαν οὐ συστέλλουσιν. Vide etiam p. 56, 47.

Haec nunc quidem sufficiant ad explicationem secundae coniugationis. Nam reliqua, quae vulgo in ea constitui solent tempora, manifesto ex prima coniugatione deprompta sunt. Nunc quidem hoc tantum agere volui, ut origines coniugationum et antiquissimas formas exponerem. Sed infra aliam utriusque coniugationis descriptionem exhibebo, postquam de illis dixero temporibus et formis, quae serius inventae et coniugationibus additae sunt.

CAP. XXVIII.

De seriore coniugationum conformatione.

Primae coniugationis passivi futurum atque aoristum posuimus, quae vulgo medii futurum atque aoristum appellant. Haec enim tempora quum et formatio et significatus proprie passiva esse ostendant, merito poterimus concludere, serius demum significationem reciprocam vel activam iis accessisse Nam omnino reciproca illa significatio, unde activa nata est, serioris est observationis. Atque haud dubium est, quin illa ex passivo significatu deducta sit. Iam vero postquam haec tempora ferme induissent reciprocam activamque significationem, desiderari coeperunt aliae formae, quibus passivum exprimeretur.

Atque AORISTVM quidem PASSIVI unde sumerent, inveniebant in secunda coniugatione. Ex hac enim adsciverunt terminationem imperfecti activi eam, quae aetate posterior erat, id est ην pro εα. Itaque pro ὠλεσάμην adhibuerunt ὠλέθην, pro ἐτυψάμην ἐτύφθην, id est ἐτυπέθην, littera σ mutata in cognatam ϑ. Ac serioris originis esse hanc passivi aoristi formam satis inde perspici potest, quod antiqua forma εα nusquam in eo occurrit. Neque enim ἐτύφθεα et similia, quod equidem sciam, a quoquam scriptore adhibita sunt. Est autem aoristi passivi forma εϑην, non, ut vulgo existimant, ϑην. Inde ὠλέϑην, ἐτυπέϑην, ἐφιλεέϑην. Ac placuit in reliquis personis longam vocalem η servare, quae in imperfecto secundae coniugationis activo saepe brevis est, abiecta altera brevi ex iis, e quibus η constat.

Sed quum in plerisque verbis, in quibus consonans istam formam praecederet, celeritate pronunciandi ε omitteretur, factum est ut ferme θην solum servaretur, ut ἐτύφθην. Quare ridiculi sunt, qui ut hunc aoristum explicent, novam et inauditam praesentis formam τυφθέω excogitarunt. Vbi autem vocalis praecederet, aut contractio consequuta est, si ea vocalis esset α, ε, et ο, ut ἐφιλήθην, ἐτιμήθην, ἐχρυσώθην, nisi in paucis quibusdam verbis, aut omissum est ε ex forma aoristi, si vel υ praecederet, ut ἐλύθην, quod, ut omnia verba in ύω, breve υ aoristi passivi habet, vel quaedam verba ab regula deflecterent, ut ἐῤῥέθην. Vide Fischeri animadversiones ad Wellerum spec. II. p. 411. Eiusmodi sunt ἐτέθην, ἐστάθην, ἐφθίθην, ἐδόθην, ἠρόθην, et alia.

Fvtvri passivi autem nulla poterat ex secunda quidem coniugatione depromi forma. Quare quum nova formanda esset, commode visa est ex ipso illo secundae coniugationis aoristo passivo deduci. Itaque addita huic futuri primae coniugationis forma natum est aliud futurum hac terminatione, εθήσομαι. Id eodem modo, ut aoristi passivi secundae coniugationis, ad primae coniugationis verba aptatum est. Itaque aut eiectum est ε, ut in τυφθήσομαι pro τυπεθήσομαι, λυθήσομαι pro λυεθήσομαι, aut servatum, ut in φιληθήσομαι ex φιλεεθήσομαι.

Progredimur nunc ad aoristvm secvndvm, quo nullum tempus maioribus implicitum est difficultatibus. Quas quo melius liceat perspicere, ordine et communem opinionem et Hemsterhusianae sectae placita exponam. Ac vulgo quidem aoristus secundus propter tres caussas putatur peculiare quoddam et ab reliquis temporibus diver-

ſum tempus eſſe, primo, quia ſignificationem habeat aoriſti; deinde, quia formatus ſit ex futuro contracto, quod ſecundum vocant, ſicut ex futuro non contracto, quod primum dicitur, aoriſtus primus formetur; denique quia reliquos modos habeat, quae non ſunt in imperfectis, quibuscum alioqui confundi poſſet. Hemſterhuſii vero ſecta aoriſtum nihil niſi imperfectum eſſe contendit. Primum enim formam eſſe imperfecti; deinde in plurimis verbis non poſſe omnino aoriſtum ab imperfecto diſcerni; porro, in quibus verbis ab imperfecto diverſus ſit, natum eſſe ex obſoletis praesentibus; denique qui ei praeter indicativum modi tribuantur, praeſentis eſſe modos, a grammaticis diſcriminis cauſſa alio accentu notatos. Ad haec reſpondere licet, primum, ſignificationem aoriſti ſecundi aperte ab imperfecti ſignificatione diſtare; deinde terminationem ex imperfecto magis, quam ex aoriſto primo petitam eſſe propterea, ne, ſi ex aoriſto primo ducta eſſet, in plurimis verbis cum perfecto medii, quod vocatur, aoriſtus ſecundus confunderetur, ut ἤλυθα: atque haec quidem iam Primiſſerus attulit; porro obſoleta praeſentia, unde iſti derivent aoriſtum, ſaepe ea eſſe, quae numquam exſtiterint; denique modos aoriſti ſecundi reliquos praeter indicativum nullo modo poſſe praeſentis eſſe, quia non ſolum accentu, verum etiam ipſis litteris a praeſentis modis recedant. Etenim τυπεῖν non poſſe a τύπω eſſe, unde iſti aoriſtum ἔτυπον deducunt, ex eo patet, quod aoriſti infinitivus eſt τυπέειν, ex quo per contractionem fit τυπεῖν. Atqui ex τύπω neceſſario infinitivus eſſet τύπειν. Wellerus quidem etiam participium aoriſti ſecundi commemorat τυπέων: quem peſſimum errorem eſſe caſus obliqui arguunt. Ad iſta omnia nihil animum adverterunt Lennepii ſe-

ctatores, homines adeo omnis doctrinae, diligentiae, iudicii expertes, ut vix inveneris, quos minus esse ad corrigendam Graecae grammaticae rationem idoneos censeas.

Sed hanc obscuritatem, qua premitur secundus aoristus, ego quidem non videor mihi aliter posse dispellere, nisi si neutram ex istis sententiis unice probans, ex utraque meliora seligam. Ac primum quidem non puto dubitandum esse, quin aoristus secundus origine et natura sua imperfectum sit. Id non solum terminatio atque omnino similitudo, quae est inter aoristum secundum et imperfectum, docet, sed ipsa etiam significationis ratio arguit. Namque etsi negari non potest, aoristum secundum vix alia, quam aoristi significatione occurrere, imperfectum tamen saepius aoristi significatione adhiberi videmus. Hanc rem necesse est exemplis quibusdam confirmemus. Homerus Iliad. I. 414.

ὤ μοι, τέκνον ἐμόν, τί νύ σ' ἔτρεφον, αἰνὰ τεκοῦσα;

II. 107. de sceptio Agamemnonis,

αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι,

quod patet idem esse debere, ac quod praecedit ἔλιπεν in hoc versu:

Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπεν πολύαρνι Θυέστῃ.

Aeschylus in Persis v. 476.

σὺ δ' εἰπέ, νηῶν αἳ πεφεύγασιν μόρον,
ποῦ τάσδ' ἔλειπες.

Sophocles in Oedipo Rege v. 68.

ἣν δ' εὖ σκοπῶν εὕρισκον ἴασιν μόνην,
ταύτην ἔπραξα.

Euripides in Oreste v. 379.

> βρέφος γὰρ ἦν τότ' ἐν Κλυταιμνήστρας χερ-
> οῖν,
> ὅτ' ἐξέλειπον μέλαθρον ἐς Τροίαν ἰών.

ubi Brunkius non opus habuisset propter temporum rationem malum anapaestum ἐξέλιπον servare. Veram lectionem retinuit Porsonus, licet Brunkium, quem non intellexerat, male refutans. Euripides in Phoenissis v. 1437.

> ὡς γὰρ πεσόντε παῖδ' ἐλειπέτην βίον.

Sic eum versum non solum Valkenarii Leidenses membranae, sed etiam alter codicum Augustanorum exhibent. Theocritus IV. 29.

> ἐπεὶ ποτὶ Πῖσαν ἀφέρπων
> δῶρον ἐμίν νιν ἔλειπε.

Ita ἦν et ἔφην ubique aoristi significatione occurrunt. Quod si omnino imperfecta aoristorum vim interdum habuerunt, facile intelligitur, significatum non obstare, quominus aoristus secundus proprie imperfectum sit. Quin ex hac ipsa re clarum est, cur inventus fuerit. Videbatur enim utraque significatio, quam imperfecta haberent, aliquo certe discrimine indicanda esse. Idque sic factum est, ut imperfecta, ubi aoristorum vim haberent, magis ad futuri contracti normam conformarentur, id est, ut syllabam, quae ante ultimam est, corriperent, velut ἔτυπον, ἔλιπον, pro ἔτυπτον, ἔλειπον, nec tamen in omnibus verbis, cuiusmodi εὗρον est. Quod si ista syllaba natura brevis esset, nunc nihil mutata fuit, ut ἔτεκον, nunc aliam brevem vocalem accepit, ut ἔτραπον. Iam non potest obscurum esse, quare aoristus secundus, quamvis natura sua et origine imperfectum sit, non habeat

tamen significationem imperfecti. Nam quum hoc demum consilio distinctus fuerit ab imperfecto, unde ortus est, ut hac distinctione facta ei aoristi significatio tribueretur, non potuit iam imperfecti rursus vim accipere. Imperfectum contra, quod initio et imperfecto et aoristo tempori significando destinatum erat, non est mirum, si, etiam invento iam aoristo secundo, interdum veteri consuetudine huius locum sustinet. Denique vero etiam modi praeter indicativum reliqui quare aoristo secundo accesserint, iam poterit clare intelligi. Nam quum imperfectum apud Graecos coniunctivo, optativo, atque imperativo carere soleat, infinitivo autem et participio, ut tempus relativum, necessario careat, id contra evenire necesse est, simulatque aoristi significationem nanciscitur. Hinc factum est, ut aoristus secundus hisce omnibus modis instructus appareat. Sed isti modi quoniam non poterant ex imperfecto, quod iis caret, depromi, casu magis et fortuito arbitratu, quam certa quadam comparatione et proportione inventi sunt. Id quod omnium maximè ex infinitivo et participio elucet. Nam infinitivus aoristi secundi activi terminatur syllabis έειν, quae undenam ortae sint, nullo pacto intelligi potest. Neque enim ε, quod ante ultimam syllabam est, reperitur in indicativo, in quo omnis origo huius aoristi posita est. Quod si tamen infinitivum syllabis έειν terminare placuit, debebat etiam participii terminatio esse έων, ac magis etiam infinitivi passivi έεσθαι. Sed quantumuis τυπέειν dicatur in activo, obtinuit tamen in passivo τυπέσθαι, et in utroque participio τυπών et τυπόμενος, ut aperte dominantem in his rebus arbitrii libertatem videas.

Denique ut conficiamus hanc disputationem de aoristo secundo, nec quidquam patiamur dubi-

fari, quin is natura ſua ſit imperfectum. exemplis utemur verborum contractorum et ſecundae coniugationis. Atque verba contracta nullum neque activi, neque paſſivi, nec medii aoriſtum ſecundum habent. Cuius rei cauſſa haec eſt, quod, ſi quis eſſet in his verbis aoriſtus ſecundus, is quoniam non poſſet vocalem propriam horum verborum amittere, prorſus imperfecti formam habiturus eſſet. Nullo enim pacto poteſt intelligi, quo modo ex φιλέω abiecto ε fieri poſſit ἔφιλον aoriſtus: immo ε, quod proprium huius verbi eſt, ſervari oportet: ſed tum aoriſtus foret ἐφίλεον, quod eſt imperfectum. Scilicet hoc minus indigebant haec verba aoriſto ſecundo, quod primum habent omnia. Solet enim ferme in iis maxime verbis ſecundi aoriſti uſus requiri, quorum primus aoriſtus propter moleſtiorem pronunciationem neglectus fuit. Nec puto erunt, qui, Steinbrüchelii miram opinionem ſequuti, aoriſtum ſecundum, etiam ubi primus exſtet, neceſſarium putent. Huic enim aoriſti ſecundi ad primum eadem comparatio viſa eſt eſſe, quae eſt plusquamperfecti ad perfectum. Verum id ſibi prorſus repugnat. Nam aoriſtus ſi fieret tempus relativum, non eſſet aoriſtus. Etenim nihil intereſt utrum relativum tempus ad aliud definitum, cuiusmodi eſt perfectum, an ad indefinitum, qualis aoriſtus eſt, referatur: quia ſi, relativum eſt, eo ipſo neceſſe eſt incertum ſit, ad quodnam tempus referatur. Sed quod dixi, verba contracta carere aoriſtis ſecundis, erunt haud dubie, qui id falſiſſimum putent, exemplorum, quae afferri ſolent, multitudine adducti. At enim haec exempla infra in emendatione indicis verborum irregularium omnia oſtendam e verbis non contractis petita eſſe. Deinde vero ne ſecunda quidem coniugatio aoriſtum ſecundum habet. Hoc quoque ſecus eſſe vulgo

putatur. Afferunt enim usitatissimos aoristos ἔθην, ἔστην, ἔδων. At num ii aoristi sunt? Non magis, puto, quam ἐτίθην, ἵστην, ἐδίδων. Nimirum verba secundae coniugationis alia nihil in initio augentur, alia accipiunt syllabam vel e duplicatione primae syllabae, vel ex sola vocalis alicuius accessione natam, ut ex θῆμι, δῶμι, στῆμι, quae facta sunt e θέω, δέω, στάω, fit τίθημι, δίδωμι, ἵστημι. Igitur quae verba secundae coniugationis duplicem formam, alteram auctam syllaba, alteram non auctam, haberent, ea quum duplici etiam imperfecto instructa essent, ita visum est hac commoditate uti, ut longior imperfecti forma significationem imperfecti retineret, ἐτίθην, ἵστην, ἐδίδων, brevior autem aoristi significationem indueret, ἔθην, ἔστην, ἔδων. Iam quum aoristus etiam reliquis modis indigeret, additi ei sunt modi praesentis brevioris, quod in usu esse desierat. Quae vero verba secundae coniugationis non augentur duplicatione primae syllabae, ea ne aoristum quidem secundum habent, sed aut eorum imperfectum munere fungitur aoristi, ut ἦν, ἔφην, aut aoristum petunt a prima coniugatione, ut ἧσα.

Ad exemplum aoristi secundi activi primae coniugationis formatus est AORISTVS SECVNDVS PASSIVI ex imperfecto passivo, ut ἐτυπόμην, ἐλιπόμην. Qui quum eodem modo, ac primus passivi aoristus, ad reciprocam vel activam significationem deflecteret, ad similitudinem eius aoristi passivi, quem ex secunda coniugatione in primam traductum vidimus, conformari coepit, ut ἐτύπην, ἐκρύβην. Atque uti ex eodem illo passivi aoristo, qui ex secunda coniugatione ad primam accessit, futurum passivi factum est, ita ex secundo passivi aoristo aliud futurum fieri coepit, quod SECVNDVM PASSIVI FVTVRVM dici solet, κρυβήσομαι.

In ſecunda autem coniugatione eadem AORISTI SECVNDI PASSIVI ratio eſt, quam in activo eſſe diximus. Nam quum a duplici praesente duo imperfecta paſſiva eſſent nata, ἐτιθέμην, ἐθέμην, ἐδιδόμην, ἐδόμην, correptior forma aoriſti loco adhiberi coepit, ſignificatione autem reciproca atque activa.

Denique ex praeterito perfecto plerumque quum omnino quaevis alia tempora, tum maxime futurum paſſivum ſolet oriri. Nam quum pleraque omnia, quae hactenus commemorata ſunt tempora, actionem aliquam perpeſſionemve quodam tempore vel duraſſe, vel durare, vel duraturam eſſe ſignificent, viſae ſunt formae deſiderari, quibus is ſtatus, qui finita actione vel perpeſſione ſuccederet, duraſſe, vel durare, vel duraturus eſſe indicaretur. Itaque e perfecto, quod finitam actionem eſſe ſignificat, hae formae erant hauriendae. Nova igitur verba exſtitere, duplicationem primae ſyllabae, perfecti propriam, tum etiam in fine formam perfecti habentia, ut δεδοίκω, πεποίθω. Vide Fiſcheri animadverſiones ad Wellerum ſpec. II. p. 248. ſeq. Sed nullo magis in tempore frequentior perfecti uſus eſt, quam in futuro paſſivo, ut τεθνήξομαι, κεκλήσομαι. Quae quidem futuri formae quum et infinitivos et participia habeant, non poſſunt relativis temporibus adnumerari: id quod ſupra iam, quum de infinitivis et participiis diceretur, adnotatum fuit. Sunt igitur futura aoriſta, et aliquid quacumque in parte futuri temporis perfectum fore ſignificant. Oſtendam id exemplis quibusdam. Aeſchylus in Prometheo v. 845.

χρόνον δὲ τὸν μέλλοντα πόντιος μυχός,
σαφῶς ἐπίστασ', Ἰόνιος κεκλήσεται,
τῆς σῆς πορείας μνῆμα τοῖς πᾶσιν βροτοῖς.

Sophocles in Oedipo Rege v. 410.

> οὐ γάρ τι σοὶ ζῶ δοῦλος, ἀλλὰ Λοξίᾳ.
> ὥστ' οὐ Κρέοντος προστάτου γεγράψομαι.

Ariſtophanes in Pluto v. 1028.

> τί γὰρ ποιήσει, φράζε, καὶ πεπράξεται.

Atque grammatici adnotare ſolent, hoc futurum pro futuro medii vel paſſivi uſitato ab Atticis adhiberi: quo magis neceſſe eſt aoriſti vim habeat, ut illud futurum, cuius locum tenet. Caeterum adnotatio iſta grammaticorum non ab omni parte vera eſt. Servat enim hoc futurum ex perfecto natum ſignificationem perfecti, ſed quum ſaepe non multum interſit, utrum perfecti ſignificatus adhaereat futuro, an ab eo abſit, non eſt mirum, ſi hoc futurum, etiam ubi communis forma locum habitura eſſet, reperitur. Sic apud Sophoclem in Antigona v. 91.

> οὐκοῦν, ὅταν δὴ μὴ σθένω, πεπαύσομαι.

Id ſimiliter Latine et *quieſcam* et *quievero* dici poteſt. Theocritus XVIII. 47.

> γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται, ὡς παριών τις
> ἀννείμῃ, Δωριστί· σέβευ μ'· Ἑλένας φυτὸν ἐμμί.

Caeterum perabſurda opinio illorum, qui hoc futurum ex ſignificatione ei ab ſe ipſis afficta paullo poſt futurum vocarunt, iam pridem a viris doctis reprehenſa eſt ac repudiata.

CAP. XXIX.

Descriptio utriusque coniugationis.

Hac absoluta disputatione utriusque coniugationis formam, qualis exstitit adiectis iis temporibus, quorum originem supra explicavimus, hac quasi in tabula describendam rati sumus.

CONIVGATIO PRIMA.

Activum.

Praesens — ω.
Ὄλω, τύπτω, σπείρω, φιλέω.
Imperfectum ἐ — ον.
ὦλον, ἔτυπτον, ἔσπειρον, ἐφίλεον.
Futurum — έσω.
ὀλέσω, ὀλέω, ὀλῶ, τύψω, τυπέω, τυπῶ, σπαρῶ, φιλήσω.
Aoristus primus ἐ — εσα, α.
ὤλεσα, ἔτυψα, ἔσπειρα, ἐφίλησα.
Aoristus secundus ἐ — ον.
ὦλον, ἔτυπον, ἔσπαρον.
Perfectum — ε — εκα, α.
ὤλεκα, τέτυφα, τέτυπα, ἔσπαρκα, ἔσπορα, πεφίληκα.
Plusquamperfectum ε — ε — έκειν, εα.
ὠλέκεα, ἐτετύφεα, ἐτετύπεα, ἐσπάρκεα, ἐσπόρεα, ἐπεφιλήκεα.

Passivum.

Praesens — ομαι.
Ὄλομαι, τύπτομαι, σπείρομαι, φιλέομαι.

Imperfectum ἐ — όμην.
ὠλόμην, ἐτυπτόμην, ἐσπειρόμην, ἐφιλεόμην.

Futurum primum — έσομαι.
ὀλέσομαι, τύψομαι, τυπέομαι, τυποῦμαι, σπαροῦμαι, φιλήσομαι.

Futurum ſecundum — εθήσομαι.
ὀλεθήσομαι, τυφθήσομαι, σπαρθήσομαι, φιληθήσομαι.

Futurum tertium — ήσομαι.
ὀλήσομαι, τυπήσομαι, σπαρήσομαι.

Futurum exactum - ε — έσομαι.
ὠλέσομαι, τετύψομαι, πεφιλήσομαι.

Aoriſtus primus ἐ — έθην.
ὠλέθην, ἐτύφθην, ἐσπάρθην, ἐφιλήθην.

Aoriſtus ſecundus ἐ — ην.
ὤλην, ἐτύπην, ἐσπάρην.

Perfectum - ε — εμαι.
ὤλεμαι, τέτυμμαι, ἔσπαρμαι, πεφίλημαι.

Plusquamperfectum ἐ - ε — έμην.
ὠλέμην, ἐτετύμμην, ἐσπάρμην, ἐπεφιλήμην.

Medium.

Praesens et imperfectum paſſivi.

Futurum primum paſſivi.

Aoriſtus primus ἐ — εσάμην, άμην.
ὠλεσάμην, ἐτυψάμην, ἐσπειράμην, ἐφιλησάμην.

Aoriſtus ſecundus ἐ — όμην.
ὠλόμην, ἐτυπόμην, ἐσπαρόμην.

Perfectum - ε — α.
ὦλα (ὄλωλα).

Plusquamperfectum ἐ - ε — εα.
ὠλεα (ὀλώλεα).

CONIVGATIO SECVNDA.

Activum.

Praesens — εμι.
τίθημι, ἵστημι, φθῖμι, δίδωμι, ζεύγνυμι.
Imperfectum ἐ — α (αν).
ἐτίθεα, ἐτίθην, ἵστην, ἔφθιν, ἐδίδων, ἐζεύγνυν.
Aoristus secundus ἐ — α (αν).
ἔθην, ἔστην, ἔφθιν, ἔδων, ἔφυν.

Passivum.

Praesens — εμαι.
τίθεμαι, ἵσταμαι, φθίμαι, δίδομαι, ζεύγνυμαι.
Imperfectum ἐ — έμην.
ἐτιθέμην, ἱστάμην, ἐφθίμην, ἐδιδόμην, ἐζευγνύμην.

Medium.

Praesens et imperfectum passivi.
Aoristus ἐ — έμην.
ἐθέμην, ἐδόμην.

Descripsi formas solorum indicativorum. Quoniam enim non hoc mihi consilium est, ut universam grammaticae rationem exponam, in hac quoque parte multa licebit omittere. Sed qui omnes coniugationis partes explicare instituent, etiam in reliquis modis animadvertere debebunt, quid e secunda coniugatione in primam transierit. Eiusmodi sunt optativi in ειην, οιην, ωην, et εια terminati. Vide Fischeri animadversiones ad Wellerum spec. II. p. 345. seq. 383. seq. 386. Quin nescio an etiam terminatio optativi εια e secunda coniugatione in primam traducta sit. Certe illud εια Aeolenses maxime retinuerunt, qui verbis

in εμι exeuntibus delectabantur. Eadem ratio eſt coniunctivorum ἐλθησιν, et ſimilium, de quibus vide quae congeſſit Fiſcherus ibidem p. 347. Coniunctivus enim ſecundae coniugationis omnino ſequebatur indicativi exemplum. Quare etiam prima perſona ſingularis in ωμι terminabatur, cuius exemplum infra afferam in indice verborum irregularium ad ἄγω.

CAP. XXX.

De verbis irregularibus.

Pleraque omnia Graecae linguae verba quibusdam temporibus carere conſtat, cuius rei cauſſa maxime quaerenda eſt in aſperiore horum temporum pronunciatione. Itaque quae cuiusque verbi tempora non uſurpantur, eorum loco adhiberi ſolent aliorum tempora verborum. Atque ſumuntur haec tempora aut ex abſoletis cuiusque verbi formis, aut ex aliis omnino verbis, aut fiunt denique nova aurium iudicio. Sed haec omnis formarum permutatio non fit temere: immo ſunt certae quaedam regulae, ex quibus, quae temporum cuiusque verbi formae adhibitae fuerint, cognoſcere liceat. Quae quidem regulae hanc tantummodo vim habere poterunt, ut aut principes formas inveſtigare doceant, aut eam rationem monſtrent, qua ſingulae formae ut origines ſumantur, etiamſi numquam in uſu fuerint. Nam in eo maxime tum a veteribus, tum ab recentioribus grammaticis erratum eſt, quod verborum formas numquam hominum Graecorum ſermone uſurpatas ita commemorarunt, tam-

quam si exstiterint aliquando, temporis autem longinquitate perierint. Quamquam incerta atque anceps est in hoc genere disputatio, quum earum formarum, quas in multis verbis non reperimus adhibitas, in aliis ubique exempla occurrant. Verumtamen, si, ut par est, modesti volumus esse in ejusmodi re, quae auctoritate dumtaxat et experientia continetur, non licebit novas verborum formas fingere, nisi ubi earum manifestissima exstant documenta. Immo in plerisque verbis satis erit caussas indicasse, cur quaedam tempora tamquam ab aliis formis facta sint, quae formae numquam fuerint in usu.

CAP. XXXI.

De investigatione primarum formarum.

Sed haec disputatio ut quasi via quadam et ratione procedat, primo loco dicendum est de iis, quae vere principes formae haberi debent. Quam rem hisce complectemur regulis.

I. Nullum verbum pauciores, quam duas syllabas, habet; sed si primitivum est, raro plures.

II. Verba pura, quae plures duabus syllabis habent, non sunt primitiva.

III. Pleraque verba, quorum littera characteristica est δ, ϑ, ν, omnia, quorum est τ, si ante has litteras vocalis est, non sunt primitiva.

IV. Omnia verba, quae ante terminationem habent duas consonantes, vel unam duplicem, non sunt primitiva.

Quae autem derivatae formae sunt, eae ad quas origines referri debeant, ex hoc indice cognoscetur.

I. Formae αιω et αυω natae sunt ex αω, ut καίω, ψαύω.

II. ευω ex εω et υω, ut ἀλεύομαι, σεύω. Inde ad horum similitudinem alia de integro verba efficta sunt, ut παρθενεύω. Id quod in plurimis aliis formis accidit.

III. μβ ex β, ut λαμβάνω.

IV. γγ ex γ et κ, ut κλάγγω, πλάγγω.

V. δ plerumque e verbis puris, ut ἔδω, δείδω.

VI. νδ e δ et verbis puris, ut ἀνδάνω, κυλίνδω.

VII. ζ proprie e δ, addita σ, ut in multis verbis fieri consuevit. Vide Fischeri animadv. ad Wellerum spec. I. p. 207. Sic ἕζω, φράζω. Deinde pro formis γ, et γγ, et κ, et χ, adhibitum, ut κράζω, πλάζω, στενάζω. Sic στενάχω exstat adhuc in Iliad. XXIV. 639. Hinc αζω et ιζω frequentes formae, quibus verba productiora fierent, ut νεμεσίζομαι. Ac Dorienses futura per ξ terminarunt, ad similitudinem eorum verborum, quorum praesens γ habet. Vide Maittarium de dialectis p. 215. seq.

VIII. θ reperitur in formis αθω, εθω, υθω, quibus prolongari verba solent, ut κιάθω, τελέθω, φθινύθω. Hae formae futuro carent: vide Etymologicum M. p. 231, 51. Ex εθω verbis puris in αω et εω exeuntibus addito forma ηθω, quae permultis in verbis occurrit, nata est, ut μήθω e μάω, πήθω e πάω, νήθω e νέω, ex οω autem ωθω, ut κλώθω e κλόω, βρώθω e βρόω. Similis origo est verborum in ηκω finitorum: nam ut ab ὄλω e perfecto fit ὀλέκω, ita a δάω est δήκω.

IX. νθ e θ, ut λανθάνω, μανθάνω, πανθάνω.

X. σθ e verbis puris, ut αἴσθομαι, et e δ, ut ἔσθω, nisi forte hoc quoque ex puro ἔω natum est. Grammatici quidem falluntur, qui αἴσθω ex αἰστός, ἔσθω ex ἐδός derivant. Vide quae de verbo ἐγέρθω, quod grammaticorum inventum est, habet Etymologus M. p. 43, 27. 309, 53. 383, 5. Verbum illud est ἐγερέθω. Ἔσθω autem et αἴσθομαι pro ἔθω et αἴθομαι dicta sunt, addito σ, ut in plurimis verbis.

XI. χθ e γ et κ, ut ἄχθομαι ab ἄγω, et ἐρέχθω ab ἐρείκω. Proprie haec verba ad formam εθω pertinere videntur, e qua propter pronunciationis celeritatem omissum est ε.

XII. γκ e κ, ut ἐνέγκω ab ἐνείκω.

XIII. σκ e verbis puris. Nimirum quum productiores formas in κω fingere vellent, addidere σ, ut βάσκω, ἀρέσκω, θνήσκω, ἁλίσκω, ἀλύσκω, γιγνώσκω. Lacones propius ad horum originem dicebant διδάκκη. Vide Scalig. ad Manil. p. 427. et interpretes Hesychii ad ἄκκορ. Hinc factum, ut futurum horum verborum habeat ξ, θνήξω, ἀλύξω. Caeterum huc referendae sunt formae imperfectorum ασκον et εσκον, frequentissimae apud poetas et scriptores Ionicos: in quibus formis hoc notabile est, quod augmento destituuntur. Vide quae congessit Fischerus in animadversionibus ad Wellerum spec. II. p. 340.

XIV. αινω et αυνω ex αω, ut βαίνω, ἐλαύνω. Forma αινω etiam ad prolongationem verborum barytonorum adhibetur, ut ἰσχναίνω.

XV. ανω ex ω, ut ἱκάνω, θιγγάνω.

XVI. εινω ex αω et ω, ut τείνω, ἐρεείνω, φαείνω.

XVII. ινω ex ιω et ω, ut πίνω, ὀρίνω.

XVIII. υνω ex υω, ut δύνω.

XIX. γν e γ, ut μιγνύω.

XX. κν e κ, ut δάκνω, δεικνύω.

XXI. μν e μ et ν, ut τέμνω, μίμνω.

XXII. νν e ν, ut τίννυμι.

XXIII. ϱν ex ϱ, ut πτάϱνυμαι.

XXIV. χν e χ, ut ἄχνυμαι.

XXV. σχν e σχ, ut ἰσχναίνω.

XXVI. ξ e futuris formarum γ, κ, χ, ut αὔξω. Huiusmodi putatur ἶξον esse, de quo disputat Etymologus M. p. 472, 10.

XXVII. σπ e π, ut ἕσπομαι, ἐνίσπω.

XXVIII. αιϱω ad prolonganda verba barytona adhibetur, ut ἐχθαίϱω.

XXIX. στϱ e verbis puris, ut βωστϱέω. Vide Koenium ad Gregor. de dial. p. 131.

XXX. σσ et ττ e γ, ut πϱάσσω, ἀμύσσω, ὀϱύσσω; e κ, ut φϱίσσω; e χ, ut ταϱάσσω; e πτ, ut πέσσω, de quibus videnda grammaticorum loca allata a Fischero ad Wellerum spec. I. p. 214. II. 329. e τ, ut ἐϱέσσω, λίσσομαι; v. Etymologum M. p. 567, 22. inde in futuro unum σ est; e verbis puris, ut πλάσσω, ἱμάσσω, ἰνάσσω, πάσσω; atque haec quoque, ut par est, in futuro habent unum σ. Vide notata a Fischero ad Wellerum spec. II. p. 329. Deinde haec forma addi solet, ut verba prolongentur cum quadam significationis mutatione, ut ὀνειϱώττω.

XXXI. τ e verbis puris, ut ἀτάω, ἀνύτω.

XXXII. κτ e κ, ut τίκτω.

XXXIII. πτ e β, π, φ, ut βλάπτω, κλέπτω, ἅπτω.

XXXIV. σχ e χ et verbis puris, ut ἴσχω, πάσχω.

XXXV. ψ e futuris formarum β, π, φ, ut ἕψω.

XXXVI. σειω e futuris, ut δρασείω, ἀλλαξείω, ὀψείω, de quibus Etymologus M. p. 231, 49. 750, 52.

His denique addendus eſt alius index, quo oſtendatur, quae ex quaque praeſentis forma reliquorum temporum formae prodeant. In quarum deſcriptione ea tantum tempora commemorari opus eſt, quae inſigniorem habent diverſitatem, id eſt, futurum, perfectum utrumque, et aoriſtum paſſivi eum, qui ex ſecunda coniugatione ad primam acceſſit. Nam haec qui ſciat qualia in quoque verbo ſint, caetera ſponte inveniet.

Verba pura: Futurum σ. Perfectum activi κ. Perſectum paſſivi, μ, et ſi diphthongus et interdum ſi ω praecedit, σμ. Aoriſtus paſſivi θ, et poſt diphthongum, interdum etiam poſt ω, σθ. Φιλέω, ἀκέω, γνώω.

Β. Fut. ψ. Perf. act. β et φ. Perſ. paſſ. μμ. Aor. paſſ. φθ. Στείβω, λείβω, τρίβω.

Γ. Fut. ξ. Perf. act. γ et χ. Perf. paſſ. γμ. Aor. paſſ. χθ. Ἄγω, φεύγω, λέγω.

Δ. Fut. σ, propterea quod litterae δ, θ, τ cognatae ſunt conſonanti σ, eoque in eam mutantur. Perf. act. δ, vel κ, quod inde obtinet, quia δ, ut mollis conſonans facile eliditur. Perf. paſſ. σμ. Aor. paſſ. σθ. Ἐρείδω, εἴδω, ἔδω.

Ζ. Haec forma ſi ex verbis puris nata eſt, in futuro σ, in perfecto activi κ habet. Perf. paſſ. σμ. Aor. paſſ. σθην. Νομίζω, σώζω. Sin ex γ, δ, χ, γγ natum eſt ζ, horum rationem ſequuntur derivata tempora.

Θ. Fut. σ, propter cognationem harum litterarum. Perf. act. θ, vel κ, quoniam θ, ut mollis littera, facile opprimitur. Perf. paſſivi σμ, inter-

dum μ; vide Fischeri animadversiones ad Wellerum spec. II. p. 402. Aor. pass. σθ. Πείθω, νήθω, πλήθω, ἀλήθω, κνήθω.

K. Fut. ξ. Perf. act. κ et χ. Perf. pass. γμ. Aor. pass. χθ. Λήκω, διώκω, δείκω.

Λ. Fut. σ, sed plerumque contracta forma praefertur. Perf. act. λ et λκ. Perf. pass. λμ. Aor. pass. λθ. Θήλω, στέλλω, ὄλω.

M. Fut. σ, sed adhibetur forma contracta. Perf. act. μ et ηκα. Perf. pass. ημαι. Aor. pass. ήθην. Δέμω, δρέμω.

N. Fut. σ, sed plerumque forma contracta obtinet. Perf. act. ν, γκ, et e verbis puris κ. Perf. pass. μμ et μ. Aor. pass. νθ et θ. Φαίνω, κρίνω, φθάνω.

Ξ. Asperitatis vitandae caussa formantur tempora tamquam e verbis puris έω. Fut. ήσω. Perf. act. ηκα. Perf. pass. ημαι. Aor. pass. ήθήν. Αὔξω.

Π. Fut. ψ. Perf. act. π et φ. Perf. pass. μμ. Aor. pass. φθ. Λείπω, τρέπω.

P. Fut. σ, sed plerumque forma contracta praefertur. Perf. act. ρκ et ρ. Perf. pass. ρμ. Aor. pass. ρθ. Ἄρω, ὄρω, ἐγείρω, σπείρω.

T. Haec, si vocalis praecedit, orta est e verbis puris, et in futuro σ, in perfecto activi κ habet. Perf. pass. σμ. Aor. pass. σθ. Ἀνύτω. Sin consonans praecedit, tamquam e verbis puris έω tempora formantur. Ἁμάρτω.

Φ. Fut. ψ. Perf. act. φ. Perf. pass. μμ. Aor. pass. φθ. Γλύφω, στέφω, στρέφω.

X. Fut. ξ: sed, ubi forma contracta occurrit, ea ex ήχω et έχω est αχῶ, ex ίχω et ύχω autem

ιγῶ et υγῶ. Perf. act. χ. Perf. paff. γμ. Aor. paff. χθ. Λήχω, ψήχω, βρέχω, βρύχω.

Ψ. Afperitatis vitandae cauffa formantur tempora tamquam e verbis puris έω. Fut. ήσω. Perf. act. ηκα. Perf. paff. ημαι. Aor. paff. ήθην. Ἕψω.

In hoc indice quasdam formas confulto omifimus, ut σσ. Sequuntur enim eas formas, ex quibus natae funt. Has autem fuppeditabit fuperior index: in quo quum inventae erunt, ad hunc pofteriorem indicem exigi poterunt.

CAP. XXXIII.

De indice verborum irregularium.

Perfequar nunc indicem verborum irregularium, qui ab aliis ferme alius exhibetur, fed a plerisque tamen fic, ut multis magnisque plenus fit erroribus. In eo corrigendo operam ponere decebat Fifcherum, fed ille fi usquam alias, hic ea attulit, quae hominem fanae mentis legere taedeat, fcribere autem pigeat pudeatque. Invenit tamen hic quoque, a quo divini ingenii laudem reportaret. Scilicet adeo facile eft hac aetate laudari, ut faepenumero in laude infit contemptio. Hoc vero magis laudari fe volunt homines. Omnium autem primus Buttmannus bene de hoc indice mereri coepit, qui quum intellexiffet, multa verba, quae vulgo ut antiqua commemorarentur, numquam in ufu fuiffe, omittenda ea cenfuit, modo ne ipfe alia quaedam, quae multo minus umquam exftiterunt, excogitaffet. Ex illo indice igitur ea tantum verba

ponam, quorum formatio non ſatis recte a vulgaribus grammaticae explicatoribus expoſita eſt.

Α Ω. Huius verbi afferunt vulgo formas ἀάω, ἀάσκω. Debebat vero ἄω poni, quod primam ſyllabam brevem habet, ut et poetarum loci ostendunt, et Euſtathius docet p. 1625, 58. Ex hoc verbo formant ἄτω, unde ἆσα et ἄσθην derivant. Ἄτω memorat Etymologus M. p. 162, 51. Sed in Aldi Hortis Adonidis fol. 25. a. ubi eadem adnotatio legitur, ἀτῶ ſcriptum. Sed inde cur ἆσα et ἄσθην deducantur, non video: quae recte fiunt ex ἄω. Ita Etymol. M. p. 1, 20. 25. Ἄτω certe equidem vereor ut usquam exſtiterit. Nam ἀτάω ab ἄτη factum, ut e longa α cognoſcitur. Ac quod pro illa forma, ἄτω, afferri poſſet ἀταίω prima brevi ex Etymologo M. p. 162, 15. et, qui ex hoc corrigendus eſt, ex Euſtathio p. 1881, 18. id ipſum dubiae auctoritatis eſt, quippe e quorumdam ſententia pro ἀγαιομένου in Homero repoſitum. Eodem modo nihili eſt ἄσω, τὸ βλάπτω apud Etymologum tum editum p. 39, 42. tum ſcriptum, quod ille effinxit, ut inde derivaretur ἄσυλος. Paullo melius grammaticus in Hortis Adonidis p. 217. a. ἄζω, ὅθεν ἀόριστος πρῶτος ἄσθην καὶ ἀάσθην. Res ita ſe habet. Ἄω princeps forma eſt, *ſpiro* ſignificans. Hinc aliae et ſignificationes et formae ortae ſunt. Ac primum *ſatiandi* ſignificatio, non illa propria, ſed ducta ab eo, quod qui labore fatigati ſunt, anhelant. v. Etym. M. p. 16, 48. Hinc ἆσεν, ἆσαι, ἄσεσθε apud Homerum. Heſiodus in Scuto Herculis v. 101.

ἦ μὴν καὶ κρατερός περ ἐὼν ἄαται πολέμοιο.

Scholiaſtes: ἄημι γὰρ τὸ ἐκπνέω καὶ τὸ παθητικὸν ἄαμαι, ἄασαι, ἄαται. Idem eſt ἄδην prima

longa apud Etymologum M. p. 164, 51. Hesychius aptissime ad veram verbi vim declarandam: ἄδεται, πίμπλαται, κοπιᾶται. Idem: ἀδηκότες, ἄδην ἔχοντες, καὶ πεπληρωμένοι ὕπνῳ. Vide Apollonii Lex. Hom. p. 44. Indidem ἄδος, *satietas* v. Etym. M. p. 16, 50 et Hesych. et ἀδινός: v. Apollonii Lex. Hom. p. 40. seq. et ἀδαῖος Sophronis apud Eustathium p. 1394, 36. Caeterum ἀδεῖν scripsit Apollonius in Lexico Homer. p. 8. quod ἀδεῖν scribere debebat: interpretationes autem adiecit, quae ad ἄδειν pertinent. Deinde *calido halitu spirare*, quod dicebatur hac forma ἄζειν. Etymologus tum editus p. 22, 52. tum MS. ἄζειν, τὸ στόμα ἀθρόως προσπνεῖν. Quae corrigi debent ex his verbis Eustathii p. 983. extrema: ψιλοῦται δέ ποτε ἄλλως ἡ λέξις, οὐ μόνον ἐπὶ τοῦ ἄζειν τὸ ξηραίνειν, ἀλλὰ καὶ ὅτε ἆσθμά τι δηλοῖ κατὰ τὸν εἰπόντα, ὅτι ἄζειν τὸ ἀθρόως προσπνεῖν τῷ στόματι θερμόν. Hinc ἄζειν etiam ξηραίνειν significat, cuius falsam originem posuit Etymologus M. p. 22, 27. Hinc ἀζαλέος: Etymol. M. p. 22, 51. Hac demum significatione factum, ut ἄειν etiam *nocere* esset: quod vel αὖος et αὐαίνειν, quae eiusdem originis sunt, demonstrant. Eademque verbi ἄζειν vis est. Hesiodus in Theogonia v. 98.

εἰ γάρ τις καὶ πένθος ἔχων νεοκηδέϊ θυμῷ
ἄζηται κραδίην ἀκαχημένος.

ΑΓΩ, *duco*. Recte faciunt, qui aoristum ἤγαγον ab antiqua forma ἀγάγω deducunt, quae ut aliae multae duplicatione primarum litterarum orta est. Sed Suidas: ἀγάγῃς, αὐθυπότακτον, καὶ ἀγάγωμεν. Verbum αὐθυπότακτον autem, quod vocabulum commemoravit, non explicavit, H. Stephanus, significat coniunctivum aoristi in iis verbis, quae reliquis temporibus carent. Vide Eu-

ſtathium p. 684, 18. 983, 42. 1253, 52. et Etymol. M. p. 304, 37. Thomam M. in v. εἰ p. 267. et Fiſcherum in proluſ. de vitiis lex. N. T. p. 646. et ad Wellerum ſpec. II. p. 390. Ἀγάγω tamen memorat Etymologus M. p. 54, 43. ἄγω βαρύτονον, ἐξ οὗ ἀγάγω, καὶ, ἐπὴν ἀγάγωμι πόλιν. εἰς μι. Etymologicum MS. παρὰ τὸ ἄγω βαρύτονον. ἐξ οὗ ἀγάγω καὶ ἀγάγωμι, εἰς μι. Locus, quem editus Etymologus affert, legitur in Illiad. XXIV. 716. ubi nunc ita editum:

αὐτὰρ ἔπειτα
ἄσεσθε κλαυθμοῖο, ἐπὴν ἀγάγοιμι δόμονδε.

Schol. Venetus ibi: γράφεται, πόλινδε. At ἀγάγοιμι optativum, qui alibi recte cum ἐπὴν coniungitur, ut Iliad. XIX. 208. XXIV. 227. hic quidem ferri non poſſe, temporum ratio docet. Quo minus dubitandum, quin vera ſit lectio Etymologi ἀγάγωμι, cuius veſtigia ſunt etiam in Homeri codice Lipſienſi, qui ἀγάγωμαι habet. Nimirum inſolentia formae adducti fuere librarii, ut ἀγάγοιμι ſcriberent. Grammatici enim verborum in μι exeuntium tertiam tantum coniunctivi perſonam ſingularem ad indicativi regulam formari tradiderunt, ut Gaza p. 117. τὸ δὲ δῶσιν ἐπὶ τοῦ τρίτου καὶ δώησι ποιητικά, πρὸς παράδειγμα τοῦ τρίτου τῶν ἑνικῶν. Scripſit, puto, πρὸς τὸ παράδειγμα τοῦ τρίτου τῶν ὁριστικῶν. Sicuti igitur tertiam perſonam coniunctivi ad indicativi ſimilitudinem veteres flexerunt, ita iam eos etiam primam in μι formaſſe exiſtimabimus. Quam rem non dubito quin aliquando plura exempla comprobatura ſint.

ΑΝΔΑΝΩ. Huius verbi memorant aliam formam ἀδέω. Heſychius ἀδῶ, ἀρέσκω. Etymologicum M. p. 16, 37. Euſtathius p. 1721, 60. καὶ ὅτι ἀδεῖν λέγεται ἄλλως τὸ ἀρέσκειν, ὡς ἀπὸ δευτέρου μελ-

λοντος, οὗ ἐνεςὼς θεματικὸς τὸ ἥδω, ἤτοι εὐφραίνω, δασυνομένε αὐτε, εἰ καὶ τὸ ἁδεῖν ψιλεῖται Αἰολικῶς, ἐ χρῆσις ἐν Ἰλιάδι. ὅτι δὲ τὸ ἁδῶ, ἁδήσω, καὶ αὐτόχρημα τὸ ἥδεσθαι δηλοῖ ποτέ, δῆλον ἀπὸ χρήσεως Ἱππώνακτος, ἣν Ἡρακλείδης προφέρει, εἰπόντος. ἅδηκε βελή, ἤγεν ἤρεσκε τὸ βέλευμα. καὶ εἴη ἂν τοιέτε παρακειμένε μετοχὴ ἁδηκώς, ὁ ἡδυνθείς, ἀπεναντίας τῷ Ὁμηρικῷ. Idem p. 400, 22. quem locum mox afferam. Aliam deinde formam ἅδω commemorat Etymologus M. p. 420, 40. Sic etiam cod. MS. in eo loco, unde modo ἁδεῖν commemoravi, p. 16, 37. ἁδεῖν, τὸ ἀρέσαι, ἀπὸ τε ἅδω. ἅσω, ὁ β' ἀόριςος ἅδον. ἅδε δ' Ἕκτορι μῦθος. Vtrumque verbum, et ἅδω five ἀδῶ, et ἁδέω, a grammaticis fictum arbitror. Verbum, unde ἀνδάνω fua tempora fumit, ἥδω fuit. Etym. M. p. 420, 40. 16, 37. Euftathius p. 539, 7. 1400, 36. Idem p. 400, 22. ἰςέον δὲ ὅτι ἐκ τε ἥδω τὸ εὐφραίνω δεύτερος μέλλων ἐνεργητικὸς ἁδῶ· ἐ Ἰωνικῶς καὶ Αἰολικῶς, ἤδη δὲ καὶ Δωρικῶς ψιλωθέντος καὶ ἀνελθόντος, γίνεται ἀπ' αὐτε ἁδεῖν. In quibus hoc falfum videtur, quod ἁδεῖν infinitivum praesentis effe dicit. Idem p. 958, 30. τε δὲ ἅδεν συστέλλεται μὲν ἡ παραλήγεσα, τὸ δὲ αὐτῆς πνεῦμα ε πάνυ δῆλον. δύναται γὰρ καὶ δασύνεσθαι ἀπὸ τε ἥδω, ἵνα δηλοῖ τὸ ἡδὺς ἔδοξε, καὶ ψιλεσθαι δέ, ὡς ἀπὸ τε ἁδεῖν, ὅ ἐςιν ἀρέσκειν. ἀμφοτέρως δὲ τὸ τοιετον ῥῆμα δεύτερός ἐστιν ἐνεργητικὸς ἀόριςος. Immo, ut fupra dixi, verba contracta nullos habent fecundos aoriftos. Quare ἅδε neceffario aoriftus eft fecundus verbi ἥδω, ut e πήθω ἔπαθον fit, e γήμω ἔγαμον, θήπω ἔταφον, λήθω ἔλαθον, μήθω ἔμαθον. Atque omnino neque ἅδω, neque ἁδέω umquam exftitiffe arbitror. Nam alterius quidem formae, ἅδω, nulla plane veftigia exftant: pro altera autem, ἁδέω,

quae argumenta afferri poſſunt, aliquam tantum ſpeciem veritatis habent. Ea autem ſunt futurum, ἀδήσω, et perfectum ἄδηκα, quod cum leni ſpiritu ſcriptum ſupra ex Hipponacte apud Euſtathium commemoravi. At hae quoque formae ex ἥδω ductae videntur, quoniam correpta vocalis magis, quam producta placebat. Sic ex μήθω μαθήσομαι et μεμάθηκα, e πήθω παθήσω et πεπάθηκα, e τεύχω τυχήσω et τετύχηκα, ex ἐρεύθω ἐρυθήσω et ἠρύθηκα. Ex hoc verbo ἥδω ductum eſt etiam nomen ἄδος, ἡ εὐφροσύνη, teſte Etymologico M. p. 18, 12. ut a πήθω πάθος. Quamquam, ſi iſtud vocabulum ex Homero petitum eſt, ſatietatem ſignificat, ab ἅδειν deductum. Nam Ariſtarchus id cum aſpero ſpiritu ſcribebat: vide ſcholiaſten Venetum ad Iliad. XI. 88. et Euſtathium p. 539, 3. Quamquam etiam ἄδος cum leni ſpiritu ex ἄδε, *placuit*, derivat Euſtathius p. 893, 46.

ΑΙΡΩ. Hinc ἄωρτο in Iliad. III. 272. quidam derivant apud Etymologum M. p. 116. extrema et in Aldi Hortis Adonidis fol. 27. a. Ex ἄρω autem deducebat Herodianus, ut ex iisdem locis et e ſcholiis Venetis conſtat. In Suida negligentiſſimus iſte Kuſterus edidit ἄωρτο, ἐκρέματο, omiſſis, quae ſequuntur in edd. vett. ἔρω, ὄρσω, ὦρκα, ὦρμαι, ὦρσο, ὦρτο, καὶ ἄωρτο. Emendanda haec ſunt ex Herodiano: ἄρω, ἄρσω, ἦρκα, ἦρμαι, ἦρσο, ἦρτο, καὶ ἄωρτο. Denique Euſtathius p. 413, 31. aut ex ἠώρητο factum cenſet, aut ab ἀείρω derivatum. Recte vero ab ἀείρω. Neque opus, ut alteram ſcripturam ἄορτο, memoratam Euſtathio, cum H. Stephano in indice Theſauri praeferamus.

ΑΙΣΘΑΝΟΜΑΙ. Huius tempora deducunt a verbo αἰσθέω vel αἰσθέομαι, quod numquam exſtitit. Αἴσθω memorat Etymologicum M. p. 40,

CONIVGATIO SECVNDA.

Activum.

Praesens — εμι.
τίθημι, ἵστημι, φθῖμι, δίδωμι, ζεύγνυμι.
Imperfectum ἐ — α (αν).
ἐτίθεα, ἐτίθην, ἵστην, ἔφθιν, ἐδίδων, ἐζεύγνυν.
Aoristus secundus ἐ — α (αν).
ἔθην, ἔστην, ἔφθιν, ἔδων, ἔφυν.

Passivum.

Praesens — εμαι.
τίθεμαι, ἵσταμαι, φθίμαι, δίδομαι, ζεύγνυμαι.
Imperfectum ἐ — έμην.
ἐτιθέμην, ἱστάμην, ἐφθίμην, ἐδιδόμην, ἐζευγνύμην.

Medium.

Praesens et imperfectum passivi.
Aoristus ἐ — έμην.
ἐθέμην, ἐδόμην.

Descripsi formas solorum indicativorum. Quoniam enim non hoc mihi consilium est, ut universam grammaticae rationem exponam, in hac quoque parte multa licebit omittere. Sed qui omnes coniugationis partes explicare instituent, etiam in reliquis modis animadvertere debebunt, quid e secunda coniugatione in primam transierit. Eiusmodi sunt optativi in ειην, οιην, ωην, et εια terminati. Vide Fischeri animadversiones ad Wellerum spec. II. p. 345. seq. 383. seq. 386. Quin nescio an etiam terminatio optativi εια e secunda coniugatione in primam traducta sit. Certe illud εια Aeolenses maxime retinuerunt, qui verbis

in εμι exeuntibus delectabantur. Eadem ratio est coniunctivorum ἐλθησιν, et similium, de quibus vide quae congessit Fischerus ibidem p. 347. Coniunctivus enim secundae coniugationis omnino sequebatur indicativi exemplum. Quare etiam prima persona singularis in ωμι terminabatur, cuius exemplum infra afferam in indice verborum irregularium ad ἄγω.

CAP. XXX.

De verbis irregularibus.

Pleraque omnia Graecae linguae verba quibusdam temporibus carere constat, cuius rei caussa maxime quaerenda est in asperiore horum temporum pronunciatione. Itaque quae cuiusque verbi tempora non usurpantur, eorum loco adhiberi solent aliorum tempora verborum. Atque sumuntur haec tempora aut ex absoletis cuiusque verbi formis, aut ex aliis omnino verbis, aut fiunt denique nova aurium iudicio. Sed haec omnis formarum permutatio non fit temere: immo sunt certae quaedam regulae, ex quibus, quae temporum cuiusque verbi formae adhibitae fuerint, cognoscere liceat. Quae quidem regulae hanc tantummodo vim habere poterunt, ut aut principes formas investigare doceant, aut eam rationem monstrent, qua singulae formae ut origines sumantur, etiamsi numquam in usu fuerint. Nam in eo maxime tum a veteribus, tum ab recentioribus grammaticis erratum est, quod verborum formas numquam hominum Graecorum sermone usurpatas ita commemorarunt, tam-

quam si exstiterint aliquando, temporis autem longinquitate perierint. Quamquam incerta atque anceps est in hoc genere disputatio, quum earum formarum, quas in multis verbis non reperimus adhibitas, in aliis ubique exempla occurrant. Verum tamen, si, ut par est, modesti volumus esse in eiusmodi re, quae auctoritate dumtaxat et experientia continetur, non licebit, novas verborum formas fingere, nisi ubi earum manifestissima exstant documenta. Immo in plerisque verbis satis erit caussas indicasse, cur quaedam tempora tamquam ab aliis formis facta sint, quae formae numquam fuerint in usu.

CAP. XXXI.

De investigatione primarum formarum.

Sed haec disputatio ut quasi via quadam et ratione procedat, primo loco dicendum est de iis, quae vere principes formae haberi debent. Quam rem hisce complectemur regulis.

I. Nullum verbum pauciores, quam duas syllabas, habet; sed si primitivum est, raro plures.

II. Verba pura, quae plures duabus syllabis habent, non sunt primitiva.

III. Pleraque verba, quorum littera characteristica est δ, ϑ, ν, omnia, quorum est τ, si ante has litteras vocalis est, non sunt primitiva.

IV. Omnia verba, quae ante terminationem habent duas consonantes, vel unam duplicem, non sunt primitiva.

Quae autem derivatae formae sunt, eae ad quas origines referri debeant, ex hoc indice cognoscetur.

I. Formae αιω et αυω natae sunt ex αω, ut καίω, ψαύω.

II. ευω ex εω et υω, ut ἀλεύρμαι, σεύω. Inde ad horum similitudinem alia de integro verba efficta sunt, ut παρθενεύω. Id quod in plurimis aliis formis accidit.

III. μβ ex β, ut λαμβάνω.

IV. γγ ex γ et ν, ut κλάγγω, πλάγγω.

V. δ plerumque e verbis puris, ut ἔδω, δείδω.

VI. νδ e δ et verbis puris, ut ἀνδάνω, κυλίνδω.

VII. ζ proprie e δ, addita σ, ut in multis verbis fieri consuevit. Vide Fischeri animadv. ad Wellerum spec. I. p. 207. Sic ἕζω, φράζω. Deinde pro formis γ, et γγ, et κ, et χ, adhibitum, ut κράζω, πλάζω, στενάζω. Sic στενάχω exstat adhuc in Iliad. XXIV. 639. Hinc αζω et ιζω frequentes formae, quibus verba productiora fierent, ut νεμεσίζομαι. Ac Dorienses futura per ξ terminarunt, ad similitudinem eorum verborum, quorum praesens γ habet. Vide Maittarium de dialectis p. 213. seq.

VIII. θ reperitur in formis αθω, εθω, υθω, quibus prolongari verba solent, ut κιάθω, τελέθω, φθινύθω. Hae formae futuro carent: vide Etymologicum M. p. 231, 51. Ex εθω verbis puris in αω et εω exeuntibus addito forma ηθω, quae permultis in verbis occurrit, nata est, ut μήθω e μάω, πήθω e πάω, νήθω e νέω, ex οω autem ωθω, ut κλώθω e κλόω, βρώθω e βρόω. Similis origo est verborum in ηκω finitorum: nam ut ab ὄλω e perfecto fit ὀλέκω, ita a δάω est δήκω.

IX. νθ e θ, ut λανθάνω, μανθάνω, πανθάνω.

X. σθ e verbis puris, ut αἴσθομαι, et e δ, ut ἔσθω, nisi forte hoc quoque ex puro ἔω natum est. Grammatici quidem falluntur, qui αἴσθω ex αἰστός, ἔσθω ex ἐςός derivant. Vide quae de verbo ἐγέρθω, quod grammaticorum inventum est, habet Etymologus M. p. 43, 27. 309, 53. 383, 5. Verbum illud est ἐγερέθω. Ἔσθω autem et αἴσθομαι pro ἔθω et αἴθομαι dicta sunt, addito σ, ut in plurimis verbis.

XI. χθ e γ et κ, ut ἄχθομαι ab ἄγω, et ἐρέχθω ab ἐρείκω. Proprie haec verba ad formam εθω pertinere videntur, e qua propter pronunciationis celeritatem omissum est ε.

XII. γκ e κ, ut ἐνέγκω ab ἐνείκω.

XIII. σκ e verbis puris. Nimirum quum productiores formas in κω fingere vellent, addidere σ, ut βάσκω, ἀρέσκω, θνήσκω, ἀλίσκω, ἀλύσκω, γιγνώσκω. Lacones propius ad horum originem dicebant διδάκκη. Vide Scalig. ad Manil. p. 427. et interpretes Hesychii ad ἄκκορ. Hinc factum, ut futurum horum verborum habeat ξ, θνήξω, ἀλύξω. Caeterum huc referendae sunt formae imperfectorum ασκον et εσκον, frequentissimae apud poetas et scriptores Ionicos: in quibus formis hoc notabile est, quod augmento destituuntur. Vide quae congessit Fischerus in animadversionibus ad Wellerum spec. II. p. 340.

XIV. αινω et αυνω ex αω, ut βαίνω, ἐλαύνω. Forma αινω etiam ad prolongationem verborum barytonorum adhibetur, ut ἰσχναίνω.

XV. ανω ex ω, ut ἱκάνω, θιγγάνω.

XVI. εινω ex αω et ω, ut τείνω, ἐρεείνω, φαείνω.

XVII. ινω ex ιω et ω, ut πίνω, ὀρίνω.

XVIII. υνω ex υω, ut δύνω.

XIX. γν e γ, ut μιγνύω.

XX. κν e κ, ut δάκνω, δεικνύω.

XXI. μν e μ et ν, ut τέμνω, μίμνω.

XXII. νν e ν, ut τίννυμι.

XXIII. ϱν ex ϱ, ut πτάϱνυμαι.

XXIV. χν e χ, ut ἄχνυμαι.

XXV. σχν e σχ, ut ἰσχναίνω.

XXVI. ξ e futuris formarum γ, κ, χ, ut ϖύξω. Huiusmodi putatur ἴξον esse, de quo disputat Etymologus M. p. 472, 10.

XXVII. σπ e π, ut ἕσπομαι, ἐνίσπω.

XXVIII. αιϱω ad prolonganda verba barytona adhibetur, ut ἐχθαίϱω.

XXIX. στϱ e verbis puris, ut βωστϱέω. Vide Koenium ad Gregor. de dial. p. 131.

XXX. σσ et ττ e γ, ut πϱάσσω, ἀμύσσω, ὀϱύσσω; e κ, ut φϱίσσω; e χ, ut ταϱάσσω; e πτ, ut πέσσω, de quibus videnda grammaticorum loca allata a Fischero ad Wellerum spec. I. p. 214. II. 329. e τ, ut ἐϱέσσω, λίσσομαι; v. Etymologum M. p. 567, 22. inde in futuro unum σ est; e verbis puris, ut πλάσσω, ἱμάσσω, ἰνάσσω, πάσσω; atque haec quoque, ut par est, in futuro habent unum σ. Vide notata a Fischero ad Wellerum spec. II. p. 329. Deinde haec forma addi solet, ut verba prolongentur cum quadam significationis mutatione, ut ὀνειϱώττω.

XXXI. τ e verbis puris, ut ἀτάω, ἀνύτω.

XXXII. κτ e κ, ut τίκτω.

XXXIII. πτ e β, π, φ, ut βλάπτω, κλέπτω, ἅπτω.

XXXIV. σχ e χ et verbis puris, ut ἴσχω, πάσχω.

XXXV. ψ e futuris formarum β, π, φ, ut ἕψω.

dum μ: vide Fischeri animadversiones ad Wellerum spec. II. p. 402. Aor. pass. σθ. Πείθω, νήθω, πλήθω, ἀλήθω, κνήθω.

K. Fut. ξ. Perf. act. κ et χ. Perf. pass. γμ. Aor. pass. χθ. Λήκω, διώκω, δείκω.

Λ. Fut. σ, sed plerumque contracta forma praefertur. Perf. act. λ et λκ. Perf. pass. λμ. Aor. pass. λθ. Θήλω, στέλλω, ὄλω.

M. Fut. σ, sed adhibetur forma contracta. Perf. act. μ et ηκα. Perf. pass. ημαι. Aor. pass. ήθην. Δέμω, δρέμω.

N. Fut. σ, sed plerumque forma contracta obtinet. Perf. act. ν, γκ, et e verbis puris κ. Perf. pass. μμ et μ. Aor. pass. νθ et θ. Φαίνω, κρίνω, φθάνω.

Ξ. Asperitatis vitandae caussa formantur tempora tamquam e verbis puris έω. Fut. ήσω. Perf. act. ηκα. Perf. pass. ημαι. Aor. pass. ήθήν. Αὔξω.

Π. Fut. ψ. Perf. act. π et φ. Perf. pass. μμ. Aor. pass. φθ. Λείπω, τρέπω.

P. Fut. σ, sed plerumque forma contracta praefertur. Perf. act. ρκ et ρ. Perf. pass. ρμ. Aor. pass. ρθ. Ἄρω, ὄρω, ἐγείρω, σπείρω.

T. Haec, si vocalis praecedit, orta est e verbis puris, et in futuro σ, in perfecto activi κ habet. Perf. pass. σμ. Aor. pass. σθ. Ἀνύτω. Sin consonans praecedit, tamquam e verbis puris έω tempora formantur. Ἁμάρτω.

Φ. Fut. ψ. Perf. act. φ. Perf. pass. μμ. Aor. pass. φθ. Γλύφω, στέφω, στρέφω.

X. Fut. ξ: sed, ubi forma contracta occurrit, ea ex ήχω et ἔχω est ἀχῶ, ex ἴχω et ὔχω autem

ιγῶ et υγῶ. Perf. act. χ. Perf. paſſ. γμ. Aor. paſſ. χθ. Λήχω, ψήχω, βρέχω, βρύχω.

Ψ. Aſperitatis vitandae cauſſa formantur tempora tamquam e verbis puris έω. Fut. ήσω. Perf. act. ηκα. Perf. paſſ. ημαι. Aor. paſſ. ήθην. Ἕψω.

In hoc indice quasdam formas conſulto omiſimus, ut σσ. Sequuntur enim eas formas, ex quibus natae ſunt. Has autem ſuppeditabit ſuperior index: in quo quum inventae erunt, ad hunc poſteriorem indicem exigi poterunt.

CAP. XXXII.

De indice verborum irregularium.

Perſequar nunc indicem verborum irregularium, qui ab aliis ferme alius exhibetur, ſed a plerisque tamen ſic, ut multis magnisque plenus ſit erroribus. In eo corrigendo operam ponere decebat Fiſcherum, ſed ille ſi usquam alias, hic ea attulit, quae hominem ſanae mentis legere taedeat, ſcribere autem pigeat pudeatque. Invenit tamen hic quoque, a quo divini ingenii laudem reportaret. Scilicet adeo facile eſt hac aetate laudari, ut ſaepenumero in laude inſit contemptio. Hoc vero magis laudari ſe volunt homines. Omnium autem primus Buttmannus bene de hoc indice mereri coepit, qui quum intellexiſſet, multa verba, quae vulgo ut antiqua commemorarentur, numquam in uſu fuiſſe, omittenda ea cenſuit, modò ne ipſe alia quaedam, quae multo minus umquam exſtiterunt, excogitaſſet. Ex illo indice igitur ea tantum verba

ponam, quorum formatio non ſatis recte a vulgaribus grammaticae explicatoribus expoſita eſt.

ΑΩ. Huius verbi afferunt vulgo formas ἀάω, ἀάσκω. Debebat vero ἄω poni, quod primam ſyllabam brevem habet, ut et poetarum loci ostendunt, et Euſtathius docet p. 1625, 58. Ex hoc verbo formant ἄτω, unde ἆσα et ἄσθην derivant. Ἄτω memorat Etymologus M. p. 162, 51. Sed in Aldi Hortis Adonidis fol. 25. a. ubi eadem adnotatio legitur, ἀτῶ ſcriptum. Sed inde cur ἆσα et ἄσθην deducantur, non video: quae recte fiunt ex ἄω. Ita Etymol. M. p. 1, 20. 25. Ἄτω certe equidem vereor ut usquam exſtiterit. Nam ἀτάω ab ἄτη factum, ut e longa α cognoſcitur. Ac quod pro illa forma, ἄτω, afferri poſſet ἀταίω prima brevi ex Etymologo M. p. 162, 15. et, qui ex hoc corrigendus eſt, ex Euſtathio p. 1881, 18. id ipſum dubiae auctoritatis eſt, quippe e quorumdam ſententia pro ἀγαιομένȣ in Homero repoſitum. Eodem modo nihili eſt ἄσω, τὸ βλάπτω apud Etymologum tum editum p. 39, 42. tum ſcriptum, quod ille effinxit, ut inde derivaretur ἀίσυλος. Paullo melius grammaticus in Hortis Adonidis p. 217. a. ἄζω, ὅθεν ἀόριστος πρῶτος ἄσθην καὶ ἀάσθην. Res ita ſe habet. Ἄω princeps forma eſt, *ſpiro* ſignificans. Hinc aliae et ſignificationes et formae ortae ſunt. Ac primum *ſatiandi* ſignificatio, non illa propria, ſed ducta ab eo, quod qui labore fatigati ſunt, anhelant. v. Etym. M. p. 16, 48. Hinc ἆσεν, ἆσαι, ἄσεσθε apud Homerum. Heſiodus in Scuto Herculis v. 101.

ἦ μὴν καὶ κρατερός περ ἐὼν ἄαται πολέμοιο.

Scholiaſtes: ἄημι γὰρ τὸ ἐκπνέω καὶ τὸ παθητικὸν ἄαμαι, ἄασαι, ἄαται. Idem eſt ἄδαν prima

longa apud Etymologum M. p. 164, 51. Hesychius aptissime ad veram verbi vim declarandam: ἄδεται, πίμπλαται, κοπιᾶται. Idem: ἀδηκότες, ἄδην ἔχοντες, καὶ πεπληρωμένοι ὕπνῳ. Vide Apollonii Lex. Hom. p. 44. Indidem ἄδος, *satietas* v. Etym. M. p. 16, 50 et Hesych. et ἀδινός: v. Apollonii Lex. Hom. p. 40. seq. et ἀδαῖος Sophronis apud Eustathium p. 1394, 36. Caeterum ἀδεῖν scripsit Apollonius in Lexico Homer. p. 8. quod ἀδεῖν scribere debebat: interpretationes autem adiecit, quae ad ἄδειν pertinent. Deinde *calido halitu spirare*, quod dicebatur hac forma ἄζειν. Etymologus tum editus p. 22, 52. tum MS. ἄζειν, τὸ στόμα ἀθρόως προσπνεῖν. Quae corrigi debent ex his verbis Eustathii p. 983. extrema: ψιλοῦται δέ ποτε ἄλλως ἡ λέξις, οὐ μόνον ἐπὶ τοῦ ἄζειν τὸ ξηραίνειν, ἀλλὰ καὶ ὅτε ἄσθμά τι δηλοῖ κατὰ τὸν εἰπόντα, ὅτι ἄζειν τὸ ἀθρόως προσπνεῖν τῷ στόματι θερμόν. Hinc ἄζειν etiam ξηραίνειν significat, cuius falsam originem posuit Etymologus M. p. 22, 27. Hinc ἀζαλέος: Etymol. M. p. 22, 51. Hac demum significatione factum, ut ἄειν etiam *nocere* esset: quod vel αὖος et αὐαίνειν, quae eiusdem originis sunt, demonstrant. Eademque verbi ἄζειν vis est. Hesiodus in Theogonia v. 98.

εἰ γάρ τις καὶ πένθος ἔχων νεοκηδέϊ θυμῷ
ἄζηται κραδίην ἀκαχημένος.

ΑΓΩ, *duco*. Recte faciunt, qui aoristum ἤγαγον ab antiqua forma ἀγάγω deducunt, quae ut aliae multae duplicatione primarum litterarum orta est. Sed Suidas: ἀγάγῃς, αὐθυπότακτον, καὶ ἀγάγωμεν. Verbum αὐθυπότακτον autem, quod vocabulum commemoravit, non explicavit, H. Stephanus, significat coniunctivum aoristi in iis verbis, quae reliquis temporibus carent. Vide Eu-

ſtathium p. 684, 18. 983, 42. 1253, 52. et Etymol. M. p. 304, 37. Thomam M. in v. εἰ p. 267. et Fiſcherum in proluſ. de vitiis lex. N. T. p. 646. et ad Wellerum ſpec. II. p. 390. Ἀγάγω tamen memorat Etymologus M. p. 54, 43. ἄγω βαρύτονον, ἐξ ού ἀγάγω, καὶ, ἐπὴν ἀγάγωμι πόλιν. εἰς μι. Etymologicum MS. παρὰ τὸ ἄγω βαρύτονον. ἐξ οὗ ἀγάγω καὶ ἀγάγωμι, εἰς μι. Locus, quem editus Etymologus affert, legitur in Illiad. XXIV. 716. ubi nunc ita editum:

αὐτὰρ ἔπειτα
ἄσεσθε κλαυθμοῖο, ἐπὴν ἀγάγοιμι δόμονδε.

Schol. Venetus ibi: γράφεται, πόλινδε. At ἀγάγοιμι optativum, qui alibi recte cum ἐπὴν coniungitur, ut Iliad. XIX. 208. XXIV. 227. hic quidem ferri non poſſe, temporum ratio docet. Quo minus dubitandum, quin vera ſit lectio Etymologi ἀγάγωμι, cuius veſtigia ſunt etiam in Homeri codice Lipſienſi, qui ἀγάγωμαι habet. Nimirum inſolentia formae adducti fuere librarii, ut ἀγάγοιμι ſcriberent. Grammatici enim verborum in μι exeuntium tertiam tantum coniunctivi perſonam ſingularem ad indicativi regulam formari tradiderunt, ut Gaza p. 117. τὸ δὲ δῶσιν ἐπὶ τοῦ τρίτου καὶ δώησι ποιητικά, πρὸς παράδειγμα τοῦ τρίτου τῶν ἑνικῶν. Scripſit, puto, πρὸς τὸ παράδειγμα τοῦ τρίτου τῶν ὁριστικῶν. Sicuti igitur tertiam perſonam coniunctivi ad indicativi ſimilitudinem veteres flexerunt, ita iam eos etiam primam in μι formaſſe exiſtimabimus. Quam rem non dubito quin aliquando plura exempla comprobatura ſint.

ΑΝΔΑΝΩ. Huius verbi memorant aliam formam ἀδέω. Heſychius ἀδῶ, ἀρέσκω. Etymologicum M. p. 16, 37. Euſtathius p. 1721, 60. καὶ ὅτι ἀδεῖν λέγεται ἄλλως τὸ ἀρέσκειν, ὡς ἀπὸ δευτέρου μελ-

λοντος, οὗ ἐνεςὼς θεματικὸς τὸ ἥδω, ἤτοι εὐφραίνω, δασυνομένου αὐτοῦ, εἰ καὶ τὸ ἁδεῖν ψιλοῦται Αἰολικῶς, οὗ χρῆσις ἐν Ἰλιάδι. ὅτι δὲ τὸ ἁδῶ, ἁδήσω, καὶ αὐτόχρημα τὸ ἥδεσθαι δηλοῖ ποτέ, δῆλον ἀπὸ χρήσεως Ἱππώνακτος, ἣν Ἡρακλείδης προφέρει, εἰπόντος. ἅδηκε βουλή, ἤγουν ἤρεσκε τὸ βούλευμα. καὶ εἴη ἂν τοιούτου παρακειμένου μετοχὴ ἁδηκώς, ὁ ἡδυνθείς, ἀπεναντίας τῷ Ὁμηρικῷ. Idem p. 400, 22. quem locum mox afferam. Aliam deinde formam ἅδω commemorat Etymologus M. p. 420, 40. Sic etiam cod. MS. in eo loco, unde modo ἁδεῖν commemoravi, p. 16, 37. ἁδεῖν, τὸ ἀρέσαι, ἀπὸ τοῦ ἅδω· ἅσω, ὁ β΄ ἀόριστος ἅδον. ἅδε δ᾽ Ἕκτορι μῦθος. Vtrumque verbum, et ἅδω ſive ἅδω, et ἁδέω, a grammaticis fictum arbitror. Verbum, unde ἁνδάνω ſua tempora ſumit, ἥδω fuit. Etym. M. p. 420, 40. 16, 37. Euſtathius p. 539, 7. 1400, 36. Idem p. 400, 22. ἰστέον δὲ ὅτι ἐκ τοῦ ἥδω τὸ εὐφραίνω δεύτερος μέλλων ἐνεργητικὸς ἁδῶ· οὗ Ἰωνικῶς καὶ Αἰολικῶς, ἤδη δὲ καὶ Δωρικῶς ψιλωθέντος καὶ ἀνελθόντος, γίνεται ἀπ᾽ αὐτοῦ ἁδεῖν. In quibus hoc falſum videtur, quod ἁδεῖν infinitivum praesentis eſſe dicit. Idem p. 958, 30. τοῦ δὲ ἅδεν συστέλλεται μὲν ἡ παραλήγουσα, τὸ δὲ αὐτῆς πνεῦμα οὐ πάνυ δῆλον. δύναται γὰρ καὶ δασύνεσθαι ἀπὸ τοῦ ἥδω, ἵνα δηλοῖ τὸ ἡδὺς ἔδοξε, καὶ ψιλοῦσθαι δέ, ὡς ἀπὸ τοῦ ἁδεῖν, ὅ ἐστιν ἀρέσκειν. ἀμφοτέρως δὲ τὸ τοιοῦτον ῥῆμα δεύτερός ἐστιν ἐνεργητικὸς ἀόριστος. Immo, ut ſupra dixi, verba contracta nullos habent ſecundos aoriſtos. Quare ἅδε neceſſario aoriſtus eſt ſecundus verbi ἥδω, ut e πήθω ἔπαθον fit, e γήμω ἔγαμον, θήπω ἔταφον, λήθω ἔλαθον, μήθω ἔμαθον. Atque omnino neque ἅδω, neque ἁδέω umquam exſtitiſſe arbitror. Nam alterius quidem formae, ἅδω, nulla plane veſtigia exſtant: pro altera autem, ἁδέω,

quae argumenta afferri possunt, aliquam tantum speciem veritatis habent. Ea autem sunt futurum, ἀδήσω, et perfectum ἄδηκα, quod cum leni spiritu scriptum supra ex Hipponacte apud Eustathium commemoravi. At hae quoque formae ex ἥδω ductae videntur, quoniam correpta vocalis magis, quam producta placebat. Sic ex μήθω μαθήσομαι et μεμάθηκα, e πήθω παθήσω et πεπάθηκα, e τεύχω τυχήσω et τετύχηκα, ex ἐρεύθω ἐρυθήσω et ἠρύθηκα. Ex hoc verbo ἥδω ductum est etiam nomen ἄδος, ἡ εὐφροσύνη, teste Etymologico M. p. 18, 12. ut a πήθω πάθος. Quamquam, si istud vocabulum ex Homero petitum est, satietatem significat, ab ἄδειν deductum. Nam Aristarchus id cum aspero spiritu scribebat: vide scholiasten Venetum ad Iliad. XI. 88. et Eustathium p. 539, 3. Quamquam etiam ἄδος cum leni spiritu ex ἄδε, *placuit*, derivat Eustathius p. 893, 46.

ΑΙΡΩ. Hinc ἄωρτο in Iliad. III. 272. quidam derivant apud Etymologum M. p. 116. extrema et in Aldi Hortis Adonidis fol. 27. a. Ex ἄρω autem deducebat Herodianus, ut ex iisdem locis et e scholiis Venetis constat. In Suida negligentissimus iste Kusterus edidit ἄωρτο, ἐκρέματο, omissis, quae sequuntur in edd. vett. ὄρω, ὄρσω, ὦρκα, ὦρμαι, ὦρσο, ὦρτο, καὶ ἄωρτο. Emendanda haec sunt ex Herodiano: ἄρω, ἄρσω, ἦρκα, ἦρμαι, ἦρσο, ἦρτο, καὶ ἄωρτο. Denique Eustathius p. 413, 31. aut ex ἠώρητο factum censet, aut ab ἀείρω derivatum. Recte vero ab ἀείρω. Neque opus, ut alteram scripturam ἄορτο, memoratam Eustathio, cum H. Stephano in indice Thesauri praeferamus.

ΑΙΣΘΑΝΟΜΑΙ. Huius tempora deducunt a verbo αἰσθέω vel αἰσθέομαι, quod numquam exstitit. Αἰσθῶ memorat Etymologicum M. p. 40,

14. αἰσθέομαι inusitatum grammaticus in Aldi Hortis Adonidis fol. 217. a. Αἰσθῶν male scriptum apud Hesychium pro ἀἰσθων. Illud ἀΐσθω, quod Homerus habet Iliad. XVI. 468. XX. 403. male ab ἀΐω ductum putant Etymologus M. p. 43, 22. Phavorinus in v. ἄϊον, (vid. etiam Hort. Adon. fol. 6. a.) Eustathius p. 1037, 37. 1071, 25. qui p. 1214, 31. ἄσθμα ex ἀΐσθω factum putat. Error hic grammaticorum inde natus est, quod in Homeri Iliad. XV. 252. verba ἐπεὶ φίλον ἄϊον ἦτορ non intelligebant. Quare quum plerique ἄϊον putarent esse *exspirabam*, ἀΐσθειν inde derivarunt, quod eamdem vim haberet. Perversam illam verbi ἀΐειν significationem tum in locis grammaticorum modo allatis, tum apud Hesychium in ἄϊον invenire licet. Veram explicationem loci Homerici habent scholia Veneta et Apollonius in Lexico. Vtramque Etymologicum M. p. 43, 3. quem locum afferam, ut in scripto codice legitur: φίλον ἄϊον ἦτορ. ἀπέπνευσα τὴν ψυχήν· ἢ ᾐσθόμην ἀλγήσας τὴν ψυχήν. ἀΐω γὰρ τὸ αἰσθάνομαι καὶ ἀκούω. Ἀΐσθειν originem habet in nomine ἄϊστος, quod recte observavit scholiastes Venetus ad Iliad. XIII. 809. XV. 676. Est enim ἀΐσθειν *animo deficere.* Ab hoc longe diversum est αἴσθομαι, factum ex ἀΐω, quod proprie est sentio, ut πληγῆς ἀΐοντες apud Homerum. Huius verbi αἴσθομαι aoristus secundus est ᾐσθόμην, qui ab αἰσθέομαι deduci nullus poterat. Futurum autem necessario sic formari debuit, ac si praesens esset αἰσθέομαι, quia consonantium, quae in hoc verbo sunt, natura alias formas recusabat.

ΑΚΑΧΩ. Grammatici commemorant verbum ἀκαχέω. Eustathius p. 898, 37. ἰστέον δὲ ὡς οὐ μόνον ἀκάχω ῥῆμα βαρύτονον, ἀλλὰ καὶ ἀκαχῶ.

Inde ἀκαχήμην, ἀκαχείατο, quod in XII. Iliadis v. 179. legitur, derivat. Rectius alii grammatici ἀκάχημι originem faciunt harum formarum, ἀκαχήμενος, ἀκαχείατο: conf. Etymol. M. p. 45. extrema et ſeq. Hort. Adon. fol. 7. a. Phavorin. in ἀκάχμενος. Ἀκαχέω numquam exſtitit. Nam ἀκάχησε et ſimilia fiunt, ut ἠθέλησε, ſuavioris pronunciationis cauſſa. Ἀκαχεῖν autem apud Heſychium infinitivum aoriſti eſſe adiectae interpretationes docent συσχεῖν, λυπῆσαι. Eſt autem ἀκάχω non ab ἄχος ductum, ut placet Apollonio in Lex. Hom. p. 92. ſed ab ἀκή, ut proprie ſit *pungere*. Indidem ἀκάζω factum, unde participium perfecti eſt ἀκαχμένος. Vid. ſchol. Venet. ad Iliad. X. 135. et Phavorin. in h. v. Sed idem cum Etymologo, cuius verba etiam in Hortis Adonidis l. l. leguntur, commemorat Herodiani ſententiam, ἀκάχμενος ex ἀκαχήμενος factum putantis. Sic etiam Euſtathius p. 1395, 34. quam opinionem merito improbavit H. Stephanus in ἀκάζω. Hinc factum, ut ἀκάχμενος ſcribant grammatici, quod debebat ſcribi ἀκαχμένος.

ΑΛΔΗΣΚΩ. Memoratum ab Euſtathio p. 720, 21. 1837, 59. ἀλδέω numquam exſtitit. Ἀλδήσω forma futuri eſt arbitraria, ut θελήσω, τυπτήσω.

ΑΛΕΞΩ. Ἀλεξέω inuſitatum memoratur in Hortis Adonidis fol. 217. a. Excogitatum hoc a grammaticis. Etymologicum M. p. 59, 15. Is locus ita legitur in ſcripto codice: ἀλέξω. κυρίως τὸ τῇ γυναικὶ βοηθῆσαι. παρὰ τὸ ἀλέγω, ἀλέξω, καὶ μετάγεται εἰς ἐνεστῶτα καὶ παρακείμενον. Vltimum verbum librarius non eo, quo debebat, litterarum compendio ſcripſit. Recte enim edi-

tum Etymologicum καὶ περισπᾶται habet. Idem p. 501, 54. χωρὶς τοῦ ἀλέξω ῥήματος· οὐ γὰρ φύσει βαρύτονον· ὁ μέλλων γὰρ αὐτοῦ ἀλεξήσω. Patet ex hoc loco, cur grammatici ἀλεξέω finxerint. Ἀλέξω non poterat aliter formatum habere futurum, vel aoriſtum primum, vel perfectum, niſi tamquam ab ἀλεξέω.

ΑΛΥΣΚΩ. Sunt qui futurum ἀλύξω ab ἀλύσσω fieri cenſeant, quod equidem ab nullo veterum traditum novi. Etymologicum M. p. 231, 38. τὰ γὰρ εἰς σκω λήγοντα ῥήματα μέλλοντα οὐκ ἔχει, πλὴν τοῦ θνήσκω θνήξω, ἀλύσκω ἀλύξω. τὸ γὰρ διδάσκω οὐκ ἐκ τοῦ διδάσκω, ἀλλ' ἐκ τοῦ διδάχω, ἀφ' οὗ καὶ διδαχή. Immo quae verba in σκω exeuntia ξ in futuro habent, id habent, ut mihi videtur, propterea quod proprie in κω terminantur, cui terminationi additum eſt σ, quod multis in formis adiici ſolet. Eſt autem ſane quaedam cognatio inter ἀλύσκω et ἀλύσσω. Vtrumque enim ab ἀλύειν factum eſt, quod quidem de ἀλύσκω negatur in Etymologico M. p. 72, 18. et in Hortis Adonidis fol. 10. b. probante Stephano in Theſ. vol. I. p. 311. Enimvero ex ἀλύω non poterant ἀλύσκω deducere grammatici, qui ἀλύω e λύω factum putarent. At ἀλύειν cum ἀλᾶν, ἀλᾶσθαι et aliis eamdem habet originem, *vagari* proprie ſignificans. Inde ἀλύσκειν, ut ἀλεείνειν, ἀλεύεσθαι, ſignificat *evitare*, ἀλύσσειν autem *abripi animi perturbatione*, ut πλανᾶσθαι quoque adhibetur. Etymologicum p. 72, 34. apte ad hanc ſignificationem explicandam, de verbo ἀλύω: δηλοῖ καὶ τὸ χαίρω, ὡς τὸ,

ἦ ἀλύεις, ὅτι Ἶρον ἐνίκησας τὸν ἀλήτην;

καὶ τοῦτο παρὰ τὸ ἀλῶ τὸ πλανῶ. πλανῶνται γὰρ καὶ τῶν χαιρόντων αἱ ψυχαί.

ΑΜΑΡΤΑΝΩ. Futurum et perfectum caussam praebuerunt grammaticis, ut fingerent praesens *ἁμαρτέω* inusitatum: v. Hort. Adon. fol. 217. a. Etymol. M. p. 79, 6. At aoristus secundus *ἥμαρτον* praesens fuisse *ἁμάρτω* docet: cuius formae nescio an meminerit Etymologus eodem loco: *ἁμαρτῶ καὶ ἁμαρτάνω ἐκ τοῦ ἁμαρτῶ τὸ ἀποτυγχάνω, ὡς ἥδω ἁνδάνω.* Quae verba sensu apto carent, nisi scribatur *ἐκ τοῦ ἁμάρτω.* Caeterum in codice scripto haec, *ἐκ τοῦ ἁμαρτῶ τὸ ἀποτυγχάνω*, omissa sunt. Ineptum coniunctivum *ἁμάτω* excogitavit Heraclides. Eustathius p. 1525, 10. *ῥητέον δὲ καὶ ἐνταῦθα τὰ τοῦ Ἡρακλείδου, ᾧ δοκεῖ ἀπὸ τοῦ ἅδω γενέσθαι αὐτὸ, (verbum ἁνδάνω) κάθ' ὁμοιότητα τοῦ λάβω λαμβάνω καὶ τῶν ὁμοίων. οὗ δὴ ἅδω χρῆσις καὶ παρ' Ὁμήρῳ ἐν τῷ,*

ἅδε δ' Ἕκτορι μῦθος ἀπήμων, [illegible]

ἤγουν ἤρεσκεν. εἰπὼν γὰρ ὅτι τὸ δάκνω συγκοπὴν τινές φασιν εἶναι τοῦ δαγκάνω, ἐπάγει ὡς τὸ δάκω, μάθω, λάχω, ἅδω, φύγω, καὶ ὅσα τοιαῦτα ὑποτακτικά, τρισὶ γράμμασιν ὑστερεῖ καὶ μιᾷ συλλαβῇ τῶν ἐξ αὐτῶν ὁριστικῶν, ὧν τὸ ἄλφα παρατέλευτον. τοιοῦτον γὰρ τὸ φύγω ὑποτακτικὸν πρὸς τὸ φυγγάνω, καὶ ἐρύγω πρὸς τὸ ἐρυγγάνω, καὶ τὸ δάκω, μάθω, λάχω, ἅδω πρὸς τὸ δαγκάνω, μανθάνω, λαγχάνω, ἁνδάνω. ταύτῃ καὶ τοῦ ἁμαρτάνω ὑποτακτικόν φησιν εἶναι, φαμὲν ἁμάτω δίχα τοῦ ρ, ὅπως καὶ αὐτὸ τρισὶ γράμμασιν ἐκείνου λείπηται. διὸ ἀναλογώτερον τὸ κιγχάνω καὶ ἱγκάνω τοῦ κιχάνω καὶ ἱκάνω, ἵνα καὶ αὐτὰ λείπωνται τρισὶ γράμμασι τοῦ κίχω καὶ ἵκω.

ΑΝΑΙΝΕΣΘΑΙ. *Ἀνήνημαι* recentiores ductum putant ab *ἀναινέω*, quod equidem apud antiquos non inveni. Fischerus ad hanc rem pro-

bandam p. 32. tria adſcripſit Euſtathii loca, in quorum nullo verbi ἀναινέω mentio fit.

'ΑΝΘΕ'Ω. Vix poteſt dubitari, quin ἀνθέω exſtiterit ex ἤθω, idque ab ἄω, cuius veſtigia ſunt in nomine ἄωτος, vel ἄωτον. Ad ἤθω pertinet ἄνηθον, cuius originem male explicat Etymol. M. p. 107, 13. his verbis: ἄνηθον, παρὰ τὸ ἄνω θεῖν, διὰ τὴν ἐν τάχει αὔξησιν. Lexic. MS. Auguſtanum: ἄνηθον, παρὰ τὸ ἄνω θεῖν. Scilicet grammatici ſic etiam ἄνθος putant ab ἄνω θεῖν dici. Ab eodem ἤθω videtur ἠθείη factum, quod Heſychius et Phavorinus explicant ὡραία. Ac neſcio an indidem ſit ἦθος, *morem* a florendo et vigendo ſignificans. Nam ἤθεα, ut in illo,

μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων,

non ſignificat florentia pabula, ſed conſuetam commorationem, ut non ab ἤθω, ſed ab ἦθος, *mos*, ducta videatur ſignificatio. Id clare oſtendit locus in XIV. Odyſſeae v. 411. de ſuibus,

τὰς μὲν ἄρα ἔρξαν κατὰ ἤθεα κοιμηθῆναι·
κλαγγὴ δ' ἄσπετος ὦρτο συῶν αὐλιζομενάων.

ΑΝΩΓΩ. Male Etymologus M. p. 115, 31. aoriſtum ſecundum ἤνωγον ab ἀνωγέω repetit, cuius origo eſt ἀνώγω.

ΑΠΕΧΘΟΜΑΙ. Vide ἔχθομαι.

ΑΠΟΛΑΥΩ. Vide ὀλαύω.

ΑΡΕΣΚΩ. Nihil frequentius apud grammaticos, quam veteris cuiusdam verbi ἀρέω mentio, v. c. in Aldi Hortis Adonidis fol. 118. a. apud Etymol. M. p. 134, 44. 138, 49. Eiusmodi verbum equidem numquam exſtitiſſe arbitror. Nam

quae inde tempora deducuntur, ἀρέσω, ἤρεσα, ἤρεκα, omnia sunt ex ἄρω formata, ut ex ὄλω ὀλέσω et ὤλεσα fit. Nec sane alia horum significatio est, si quis probe rem perpendat, quam formarum ἄρσω, ἦρσα, ἦρκα. Sed placuit leve discrimen significationis indicare litterae ε aut accessione aut detractione.

ΑΡΩ. Verbum duplicatione primae syllabae ortum ἀραρῶ commemoratur in Etymologico M. p. 144, 42. 145, 2. in Hortis Adonidis fol. 23. a. Rectius id Eustathius barytonum facit p. 1055, 57. τȣ̃ δὲ ἀράρῃ καὶ ἄραρον ἐνεστὼς ἀράρω, γεγονὼς ἀπὸ τȣ̃ ἄραρα παρακειμένȣ, ὡς ἐκ τȣ̃ πέπληγα τὸ πεπλήγω, καὶ πέφυκα πεφύκω, καὶ τὰ ὅμοια. Nam ἀράρῃ et ἄραρον in Iliadis XVI. 212, 213. imperfecta sunt. Indidem ἀρήρω est, unde προσαρήρεται adhibuit Hesiodus in Op. et D. 429.

ΑΥΞΩ. Recentiores αὐξέω invenerunt. Antiqui recte tantummodo αὔξω norunt. Etymologicum M. p. 232, 13. Eustathius p. 698, 31. Herodianus MS. περὶ ἡμαρτημένων λέξεων: ζητεῖται πότερόν ποτε ἡ αὔξῃ καλεῖται περισπωμένως, ἢ βαρυτόνως. οἱ μὲν ȣ̃ν ἀξιȣ̃σι περισπᾶν αὐξῆ, ὡς αὐλῆ, αὐδῆ. λέγομεν οὖν ὅτι ȣ̓ δύναται· ȣ̓δὲ γὰρ τὸ ῥῆμα ἐστὶν αὐξῶ.

ΑΧΘΟΜΑΙ. Male repetunt futurum ab inusitato ἀχθέομαι, ut in Hortis Adonidis fol. 218. a. Non exstitit alia forma, quam ἄχθομαι. In his Etymologi M. verbis p. 405, 41. καὶ ὡς ἀπὸ τȣ̃ ἀκτὸς γίνεται ἀχθῶ καὶ ἄχθος, οὕτως ἀπὸ τȣ̃ ἔκτος ἔχθω ἔχθομαι γίνεται ἔχθος, scribendum videtur ἄχθω, quam formam habet p. 231, 54. et 645, 24. ἀχθήσας, δεινοπαθήσας, στενάξας, παρὰ τὸ ἄχθω βαρύτονον, ἀφ᾽ ȣ̃ περισπώμενον ἀχ-

θῶ, καὶ ὀχθήσας κατὰ τροπὴν τȣ̃ α εἰς ο. Ex hac adnotatione, quam paucis mutatis habet Aldus etiam in Hortis Adonidis fol. 122. a. clare intelligitur, formam in έω terminatam ineptae grammaticorum ſubtilitati deberi.

ΒΑΙΝΩ. Vulgo ἔβην aoriſtum ſecundum a βίβημι eſſe tradunt. At ex iis, quae ſupra de ſecunda coniugatione disputata ſunt, patet ἔβην eſſe imperfectum verbi βῆμι. Et idem etiam Etymologus docet p. 192, 11. Similiter vulgo erratur in βρῶμι, βλῶμι.

